
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX 169.
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι·
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

DE
VI AC NOTIONE VOCABULI
ΕΛΠΙΣ
IN NOVO TESTAMENTO.

DISSERTATIO

AD THEOLOGIAM NOVI TESTAMENTI PERTINENS,

QUAM AUCTORITATE

ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM

SUMME VENERABILIS

IN ACADEMIA LUDOVICIANA

PRO GRADU LICENTIATI THEOLOGIAE ET VENIA DOCENDI RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

OTTO ZÖCKLER,

PHILOSOPHIAE DOCTOR, SS. THEOLOGIAE LICENTIATUS.

GISSAE, 1856.

TYPIS WILHELM KELLER.

Argumentum.

Cap. I.

De etymo vocabuli ἐλπίς.

Nomen ἐλπίς est forma substantivi abstracti ducta a themate ἘΛΠΩ, quod activo quidem genere perraro in sermone Homerico usurpatum est [1]), excepto perfecto ἔολπα et plusqpfcto ἐώλπειν, quae per totum sermonem Homericum et Ionicum vi praesentis et imperfecti adhibita inveniuntur. Frequentius est medium ἔλπομαι apud Homerum veteresque Ionicae dialecti auctores, cuius loco et Attici et Hellenistae semper utuntur verbo ἐλπίζω, quod per terminationem frequentativam ductum esse videtur a substantivo ἐλπίς; cfr. ἐρίζω ab ἔρις; κληΐζω a κληΐς (κλείς) etc.

Iam formam radicis, quae omnibus his vocabulis subest, proprie fuisse ϜΕΛΠ, patet ex forma illa perfecti II: ἔολπα (pro ϜέϜολπα) et ex epicorum ἐέλπομαι. Quaerendum igitur est, quaenam fuerit vis primitiva radicis huius digammatae ϜΕΛΠ. — Simplicissimum radicis elementum retinemus abiecta littera Π, quam ad formationem solum pertinere verisimillimum redditur comparatis verbis μέλπω a √ ΜΕΛ (unde μέλος), ἕρπω a √ ἙΡ, pro ΣΕΡ (cfr.

---

[1]) v. c. Od. II, 91; XIII, 380.

Lat. serpo et Indorum सृप् srip, quod adiecta littera P ductum est a √ सृ sri), *θάλπω* a √ *ΘΑΛ* (*θάλλω*) [1]. — Iam syllaba *FΕΛ*, quae residua est de radice nostra, inest eadem verbo *εἴλω*, *εἴλλω* (pro *Fείλω*), unde alio formandi genere ductum est Homericum *ἔλδομαι* s. *ἐέλδομαι* et nomen *ἔλδωρ*, *ἐέλδωρ* (cfr. *ἀμέρδω* ab *ἀμείρω*, unde *μέρος*), quae vocabula etiam quoad notionem arctissime cohaerent cum *ἔλπω* et *ἐλπίς* [2]).

Conferenda sunt in linguis cognatis: Sscr. वल् val, tegi, ire, contrahi, et विल् vil cl. 6: tegere; cl. 10: mittere; Lat. *vol*-vere, *volu*-tare, *volup*-tas (de quo voc. et de Sscr. वल्लभ vallbʻa v. infra); Goth. *val*-vjan [3]) et *val*-tjan, Ahd. welzan, nostr. wälzen [4]). Cum igitur notio primitiva verbi illius *εἴλω*, necnon vocabulorum vicinorum in linguis

---

[1]) Quod verbum eam inprimis ob causam cum stirpe *FΕΛΠ* conferendum puto, quod maxima intercedit similitudo inter nomina *θαλπωρή* et *ἐλπωρή* ab utroque derivata.

[2]) Nulla vero ratione huc pertinet verbum *ἕλκω*, quod nonnulli obsoletiore nominum enodandorum ratione idem esse opinati sunt, ac nostrum *ἔλπω*, diversae solum dialecti proprium. Cui sententiae inprimis repugnat digamma radicis *FΕΛΠ*. Neque magis huc pertinet verb. *ἐλεφαίρω*, quod et ipsam a quibusdam collatum est ad originem vocabuli *ἔλπω* illustrandam. Vide Riemer, Griechisch-Deutsches Hdwtrb. v. *ἔλπω*, *ἕλκω*, *ἐλεφαίρω*.

[3]) In linguis Semiticis conferri posse videtur ar. ولف, conj. III والف firmiter adhaesit, unde Hebr. יַלֶּפֶת porrigo, impetigo (Lev. 21, 20; 22, 22). Rectius tamen cum Gesenio conferendas puto radices אול, גלל et חול torqueri, volvi, circumagi; quarum ultima in Kal et in Piel significat manere, expectare.

[4]) Diversae originis est nostrum *wölben*, cui in Gothorum sermone responderet *hvilban*; cfr. Grimm, Gramm. I, p. 58 et 847, edit. altera. Neque etiam ad hanc radicem pertinere videtur nostrum *wolf*, lat. vulpes. — Contra *velle*, goth. vil-jan, nostr. wollen fortasse conferre licet, etsi vicinum *βούλομαι* minus bene quadrare videtur cum hac sententia.

cognatis motum aliquem in re demissa et humili accidentem exprimat, ita ut *εἴλω* proprie sit comprimere, se contrahere, caput demittere (ita de leone praedam aucupante Il. XX, 168 : *ἐάλη τε χανών*); eundum sensum primitus subesse censeo verbo *ἔλπω*, etsi in monumentis linguae Graecae etiamnunc superstitibus semper sensu figurato et metaphorico usurpatum invenitur. Itaque vocabula *ἔλπεσθαι, ἐλπίζειν, ἐλπίς* proprie de eis usurpata esse videntur, qui (demisso s. curvato corpore) intente speculantur rem aliquam eventuram vel apparituram, sicut ferae praedae insidiantur. Cfr. Homericum illud de leone, quocum ratione aliqua mihi convenire videtur Jesaianum illud (cap. 21, vs. 8) וַיִּקְרָא אַרְיֵה עַל־מִצְפָּה etc. Multo enim facilius expediri posse explicationem huius versus censeo, si custodem illum in specula impositum, ob similitudinem positionis et actionis suae cum fera praedae insidiante, leonem vocatum esse a propheta sumitur, quam si וַיִּקְרָא אַרְיֵה explicatur : „et clamat leonis instar“, ita ut tertium comparationis sola sit vox custodis clamantis, vel terribilis, vel adeo flebilis (ita Ewald.) [1]).

Iam similis translatio sensus, atque in vocabulo *ἔλπω*, locum habet in verbo *κυπτάζω*, forma frequentativa a *κύπτω* ducta, quae proprie significat : saepe se demittere, incurvare se, deinde : cunctari, insidiari, speculari (VLL :

---

[1]) Tertium comparationis enim posituram gestumque insidiantis esse, minus vocem clamantis, suadent etiam, quae proxime superiore versu antecedunt : וְהִקְשִׁיב קֶשֶׁב רַב־קָשֶׁב, ubi notandum est, verbum קשב proprie significare : aures arrexit, locutione ab animalibus insidiantibus petita. — Similiter etiam Hofmann, Schriftbews. III, p. 510 hunc locum explicat contra Knob., Ewald all. — Ceterum ad probandam nostram de h. l. sententiam valere mihi videntur plures loci consimiles de leone, v. c. Ps. 10, 9; 17, 12; Prov. 22, 13; 26, 13; Jerem. 4, 7; 25, 38; Thren. 3, 10; Deut. 33, 22; cfr. etiam Gen. 4, 7; 49, 9; Num. 24, 9.

διατρίβειν, στραγγεύεσθαι) [1]. Ita *ἐλπίζω* quoque proprie est forma frequentativa, denotans, ut videtur : *frequenter caput demittere speculandi s. prospiciendi causa*, deinde : intente, assidue expectare aliquid, perseverare in expectando. Optime congruit cum radice verbi illius *κυπ–τάζειν* lat. *cupio* (con-cup-isco), quod tamen magis sensum exoptandi s. desiderandi obtinet, cum potius in verbo *exspectandi*, necnon in vicino *sperandi* (spes enim eiusdem originis est ac speculum, specto) eadem sensus translatio appareat, atque in graeco *ἐλπίζω*. Etymologiae ratione habita vocabula spes, sperare, ex-spectare conveniunt cum graec. *σκέπτομαι*, *σκεπάω*, Sscr. पश् paç pro स्पश् spaç, Hebr. שָׁקַף (de quo v. infra). —

Quod ad radicem *volup* [2]) attinet, quae quoad etymon proxime accedit ad *ἐλπίς*, in ea saltem notio rei optatae, desideratae, iucundae ad originem alludere videtur. Cfr. Sscr. वल्लभ vallb'a, amasius, deliciae, quod nescio utrum cum radice वल्ल् tegi, abscondi, an cum वेल्ल् vêl vacillare, lascivire, cohaereat. — In Germanorum sermone latino cupio respondere videtur *hoffen*, ags. *hopian* [3]), quod nescio an eadem metaphora notionem suam adeptem sit, ac graec. *ἐλπίζω*. Sed potest ei etiam subesse notio anticipandi sive firmiter tenendi aliquid, ita ut potius conferendum sit lat. *capio*, capto, au-cupor, et quod ad sensus

---

[1]) Cfr. etiam *παρακύπτω* prospectare per fenestram, intente inspicere in al. rem (*εἴς τι*) : I Petr. 1, 12; Jacob. 1, 25, ubi una cum sequenti verbo *παραμένω* similem efficit notionum coniunctionem, ac si verba *ἐλπίζω* et *ὑπομένω* (spero et persevero) coniungantur, vel ut *μακροθυμῶν ἐκδέχεται* Jac. 5, 7; vel *δι' ὑπομονῆς ἀπεκδέχεσθαι* Rom. 8, 25.

[2]) Haec est forma radicis, non volupe, v. Rhein. Mus. VIII, 2, 319.

[3]) Haec tamen cognatio dubia est : v. Weigand, deutsches Wörterbuch, s. v. hoffen.

translationem attinet graec. *ἐκ–δέχεσθαι*, *προσ-δέχεσθαι*, *ἀπεκ-δέχεσθαι*, all., de quibus v. appendicem. — Certo autem huc conferre licet Nnl. *kiken* s. kieken speculari (nostr. kucken, gucken), quod verbum in qua significatione natum sit, ostendunt vocabb. linguae scandinavicae (altn.) *keikr*, curvus et *kikna*, curvari [1]).

Fortasse etiam semiticarum linguarum comparatio h. l. aliquid utilitatis adferet, cum praecipue hebraica vocabula notionem sperandi et confidendi exprimentia magnam partem similem originem et sensus translationem exhibeant, atque in voc. *ἔλπω* locum habuisse ostendimus. — C a r p z o v i u s in Crit. sacr. V. Ti. pag. 201, de ubertate sermonis hebraici loquens, notat, quatuordecim ei esse vocabula diversa confidentiam in Deum significantia. Quem numerum facile etiam adaugere possemus, si omnia diversae originis vocabula, quae vel spem vel fiduciam significant, h. loco colligere vellemus. Necessario enim notio sperandi s. confidendi summi discriminis erat in Israelitarum religione, ut quae tota in promissionibus divinis exstructa erat et in eo inprimis versabatur, ut firmiter crederetur divinum horum vaticiniorum auctorem etiam certo praestiturum esse, quod promisisset. — V. infra Cap. IV, 1.

Iam ex magno horum verborum numero frequentissimum fere et praecipuum est קוה, idem denotans in Kal et Piel. Proprie et primitus significat *torquere*, *adstringere*, etiam *ligare*, unde קַו funis mensorius, norma, et תִּקְוָה (Jos. 2, 18) funiculus. Inde ducta est notio *valendi*, quae

---

[1]) Diversa translatione nititur ahd. *dingén*, unde subst. gidingi, mhd. gedinge (Weigd. l. c. p. 400), quod proprie valet ratiocinari, *λογίζεσθαι*, inde plerumque : sperare ; cfr. nostr. : auf etwas rechnen. Obscura est primitiva s. sensualis huius radicis notio. V. W e i g d. l. c. p. 248. — Fortasse cognatum est cum gr. *δοκεῖν*, opinari, expectare. Cfr. Append.

inprimis obtingit arab. قوى firmus, robustus fuit, robore vicit aliquem [1]); saepius tamen קוה notat sperare, expectare. Videtur igitur hoc verbum, quod praecipue apud Hebraeos graeco ἐλπίζω respondet, simillima ratione notionem suam accepisse, ab adstringendo scil. vel torquendo. Id enim suadet usus sensusque principalis arabici قوى, qui est *torsit* (v. Willmet, Lex. s. h. v.), partibus crassitie differentibus *torsit funem* (Kam.). Reiicienda igitur est Gesenii opinio, qui sperandi notionem in hoc verbo a *firmitate* et *constantia animi* ductam dicit, conferens verbum חָזַק, quod et ipsum proprie significat: arcte ligavit, constrinxit, sed raro tantum attingit notionem confidendi, inpr. in Hiph. V. Gesen. lex. man. s. h. v. et cfr. Graec. *κρατεῖν τινός* (Hebr. 4, 16; 6, 18), quod tamen aliud est, quam expectare. — Praeterea firmitatis s. roboris notio subesse videtur verbo כָּסַל, quod proprie significat lumbus, inde tum *stultitia* (Eccl. 7, 25) tum *fiducia*, *spes* (Ps. 78, 7; Prov. 3, 26; Job 8, 14. 46; 31, 24) [2]).

Contra ad verba a notione *contrahendi* vel *torquendi* ducta pertinet etiam בָּטַח confisus est, spem collocavit in quo; cfr. arab. بطح, coniecit in faciem ac pronum, resupinum prostravit; VII: pronus concidit; ubi simpliciorem translationem factam esse in hebr. vbo. censeo, quam eam, quam Gesen. suadet: „curas coniecit in aliquem." Immo simplicissima metaphora huius vocabuli notio mihi orta esse videtur: prostravit se insidiandi causa, inde: ex-

[1]) unde قُوَّةٌ robur, potentia. — Ab hebr. קוה ductum est subst. תִּקְוָה spes, quod saepissime graeco ἐλπίς respondet apud LXX; cfr. etiam מִקְוֶה eadem signif. usurpatum I Chron. 29, 15; Esr. 10, 2.

[2]) Cfr. כִּסְלָה fiducia (Job 4, 6) et stultitia (Ps. 85, 9).

pectavit, aucupatus est. — Eodem modo verbum חול proprie significat torqueri, circumagi, inde *manere, praestolari* (Gen. 8, 10; Jud. 3, 25; Thren. 3, 26); Piel huius verbi חוֹלֵל itemque Hithp. eadem significatione usurpata sunt, prius Job 35, 14; posterius Ps. 37, 7. — Neque diversae originis est יָחַל, quae forma in Piel saepissime ad sensum sperandi exprimendum adhibetur. — Ita כָּתַר, quod cognatum cum עתר proprie valet circumdare, cingere, semel in V. To. (Job 36, 2) denotat expectare, qua significatione saepius in cognatis Chaldaeorum et Syrorum linguis usurpatum invenitur. Non liquet, utrum haec notio immediate derivata sit a proprio et primitivo sensu, ita ut hic quoque cogitandum sit de feris praedam aucupantibus, an alia quadam ratione orta sit [1]). — His verbis, quibus a propria torquendi vel volvendi notione sensus expectandi obtigit, adnumerandum est etiam arab. أَمَلَ, proprie significans: caput demisit (cfr. hebr. אָמַל, languidus, flaccidus fuit), unde ducta est notio sperandi; quo sensu, si Hitzigio credendum esset, semel etiam in V. To. haec radix usurpata reperiretur. Nam si recte se haberet emendandi ratio, quam doctus ille vir proposuit ad Ezech. 16, 30, legendum ibi foret מָה אֻמְלָה לְבִתֵּךְ: quid spei est de filia tua? Sane tum nullum vocabulorum hebraicorum magis congrueret cum ea sensus translatione, quam supra in ἐλπίς locum habere vidimus.

Sensus prominendi ad prospectandum obvenit etiam radici שקף in Niphal, quam iam supra quoad etymon. cum gr. σκεπάω, lat. spec-to contulimus [2]). Ita Jud. 5, 28 hoc

[1]) Fortasse Syrorum ܣܟܐ, quo Matth. 27, 43 vertitur πέποιθεν, conferre licet cum radice כלל (ar. كل) *coronavit*, absolvit.

[2]) Similiter atque in gr. σκέπτομαι notiones obtegendi et expectandi

verbum usurpatum est de matre Sisserae per fenestram prospectante reditumque filii frustra exspectante; cfr. II Sam. 6, 16; Prov. 7, 6; Cant. 6, 10; et quod saepius invenitur, Hiphil : I Chron. 15, 29; 21, 20.

Notandum quoque existimo gestum illum verbo גהר descriptum, quo utebatur Elias propheta in Carmelo monte pluviae adventum expectans I Reg, 18, 42. Hic status demissus mihi non merum supplicationis signum esse videtur, ut apud anachoretas Muhammedanorum [1]), sed praecipue habitus prospectantis et intente aliquid sperantis, qui sane supplicem Dei invocationem necessario involvebat. Idem verbum גהר praeterea semel tantum reperitur II Reg. 4, 34. 35 in narratione de Elisa puerum mortuum resuscitante, ubi mihi quidem simplicissima huius verbi explicatio esse videtur, prophetam statu supra corpus infantis inclinato attente simulque nimirum Deo supplicantem prima signa redeuntis animae exspectasse [2]).

---

concurrunt in chald. סכא, syr. ܣܟܳܐ; item notiones prominendi sive protendendi et expectandi in chald. אוֹרֵךְ (Aph. vbi. ארך), v. c. Targ. Jonath. ad Mich. 5, 6. — Contra chald. רְחַץ confidere (Dan. 3, 28, unde רוּחְצָנָא spes, fiducia (Targ. Ps. 110, 3, al.) mihi quidem eis radicibus adnumerandum videtur, quae primitus notionem torquendi obtinent, etiamsi hebr. רָחַץ solum *abluendi* notionem praebeat. Cfr. autem arab. رَحَضَ sudavit, II : emollivit, levavit; fortasse etiam cognatum est رَحَنَ inclinavit, flexit.

[1]) Derwische, cfr. Keil et Then. ad l. l.

[2]) In simili narratione I Reg. 17, 21 de Elia et filio mulieris Sunamiticae paulo alius sensus efficitur verbo, quod hic usurpatum est, הִתְמֹדֵד, extendit se, supra puerum scil. — Si Jacob. 5, 17. 18 narratur, pluisse Elia precante in Carmelo monte, haec notitia ad traditionem aliquam redire videtur non dissentientem quidem cum ea, quae in V. To. perhibetur, paulo tamen alio modo relatam. — Cf. Brückn. ad h. l.

In radice צפה notio exspectandi, quam Piel huius verbi obtinet (v. c. Ps. 5, 4; Mich. 7, 7; Jer. 48, 19; Thren. 4, 17) nititur significatione principali speculandi s. prospiciendi. Origo huius notionis potest quidem esse in inclinando vel protendendo (cfr. radicem צפה no. II apud Gesen. lex. man.), non tamen ideo conferenda sunt gr. *σκέπτομαι, σκόπος* etc., id quod Gesenio placuit; haec enim verba, si etymon respiciatur, potius cum hebr. שׂקף congruere statuendum erit. Quamquam eatenus saltem *σκέπτομαι* illud, item lat. ex-*specto* consimilia sunt radicis צפה, quod ambo notionem sperandi s. praestolandi praecipuo finis terminique, in quem speratur, respectu habito exprimunt atque ideo a principali *videndi* s. *prospectandi* notione proficiscuntur, non a sensu constantiae, vel animi firmitatis, vel perseverantiae in exspectando, ut radices illae proprium sensum *torquendi* exhibentia. — Notio prospiciendi s. videndi videtur praevalere etiam in his verbis: שׂבר, in Kal inspexit, Pi. confisus est, speravit, (cfr. chald. סְבַר, syr. ܣܟܐ); חָכָה, semel in Kal: Jes. 30, 18; plerumque in Piel חִכָּה sensu exspectandi, sperandi, semel (Hos. 6, 9) insidiandi [1]); שָׁעָה prospectavit (Exod. 5, 9); נבט, Hi. הִבִּיט, plerumque significans spectavit, semel (Ps. 34, 6) etiam spem posuit in aliquo; cfr. מַבָּט fiducia, spes [2]). Etiam פָּנָה cum אֶל praepos. denotare potest: prospectavit ratione sperantis, exspectavit: Hagg. 1, 9. —

---

[1]) Ex cogn. chald. חכך patet, primitivam notionem huius verbi esse *fixit*, *infixit*; cfr. etiam talmud. חכה, scabit, fricuit, et חוך, scabit se, illusit, etiam exspectavit. — Translatio sensus in vbo. חכה ea potest esse, ut fixa oculorum acies, obtutusque vultus in aliquam rem conversus describatur.

[2]) arab. نَبَطَ emanavit, eduxit, cognatum, ut videtur, cum נבא, נבע. Cfr. etiam chald. בטה pronunciavit (*βαττολογεῖν*).

Eodem fortasse pertinet vocabulum נֵצַח fiducia, quod Thren. 3, 18 iuxta תּוֹחֶלֶת (a יחל) positum est. Rectius tamen statuemus hoc vocabulum proprie *splendorem, sinceritatem* significare, inde translate de re certa et nulli errori obnoxia (ut I Sam. 15, 29 de Deo), denique de fiducia in talem rem, quae fallere nequit, esse usurpatum.

Interdum etiam verbo חָסָה (cfr. חוש) *confugit*, notio confidendi obtingit; cfr. nostrum : „seine Zuflucht bei jemanden suchen", quod idem fere est, ac : „sich auf jemanden verlassen." (Exempla sunt Ps. 2, 12; 5, 12; 7, 2; 17, 7; 25, 20 etc.) — Alia denique metaphora locum habet in locutione דָּמַם אֶל פ׳ *siluit*, quiétus fuit alicui, quod eodem fere sensu ac verba confidendi usurpatum invenio Ps. 22, 3; 39, 3; 62, 2. 6; 65, 2. — Cfr. הֶחֱרִישׁ אֶל פ׳, Jes. 41, 3; et אָנוּחַ לְיוֹם צָרָה : tacite opperior diem angustiarum : Habac. 3, 16.

Vidimus ex hac variarum linguarum collatione, duo inprimis esse genere translationum, quae in verbis notionem sperandi exhibentibus locum habeant. Ad priorem classem pertinent ipsum ἐλπίζω, item κυπτάζω, lat. cupio, nostr. hoffen (?), hebr. קוה, בטח, חול, יחל, נהר, hebr. et aram. כתר, chald. רחץ (?), arab. أمل; quae omnia in eo convenire videntur, quod vim exspectandi immediate a propria torquendi s. contrahendi notione ductam habent. Alteri generi abscribenda puto verba, in quibus praevalet speculandi s. prospectandi vis, sive ab obtegendis vel velandis oculis proficiscatur haec notio — ut in σκέπτομαι, ex-spectare, spähen (?); sive a protendendo ad attente prospiciendum, ut hebr. צפה, שבר, שעה, נבט, chald. סבר et אריך; cf. gr. καραδοκέω, ἀποκαραδοκία, propr. : capite porrecto s. collo exserto prospectare versus aliquam rem.

Prius igitur verborum genus magis praesentem habitum sperantis describit, animum scil. colligentis et ad fir-

mam fiduciam se ipsum exhortantis, vel etiam morae impatientis; alterum potius protinus monstrat in res futuras vel eventuras, finem praecipue et exitum sperandi respiciens. Neutram tamen harum notionum prorsus abesse a verbo ἐλπίζω, ita ut ambas potius coniungat, et prospiciendi et perseverandi notionem, infra videbimus, ubi de notione, quae in universum ei obveniat in Graecorum sermone, nobis exponendum erit.

Cap. II.

De usu syntactico vocabulorum ἐλπίς et ἐλπίζω.

Verbum ἐλπίζω plerumque cum *accusativo obiecti* sive rei speratae construitur, ut in ceteris linguae gr. monumentis, ita in Novi quoque Test. sermone: Rom. 8, 24. 25; I Cor. 13, 7; Hebr. 13, 1 (τὰ ἐλπιζόμενα). Non enim differt constructio cum infinitivo, quae locum habet, quando res sperata non uno nomine exprimitur, sed longiore sententia circumscribitur, ut Luc. 6, 34; 23, 8; Act. 26, 7; Rom. 15, 24; I Cor. 16, 7; II Cor. 5, 11 (hoc tantum loco cum infin. pfcti. coniunctum invenitur: ἐλπίζω—πεφανερῶσθαι); Phil. 2, 19. 23; I Tim. 3, 14; II Joh. 12; III Joh. 14.

In nomine ἐλπίς congruit constructio cum *genitivo obiecti* s. rei, quae speratur: Act. 26, 6; Rom. 5, 2; I Cor. 9, 10; Gal. 5, 5; Col. 1, 27; I Thess. 1, 3; 5, 8; Tit. 1, 2; 3, 7. Paulo aliter se habent loci Act. 16, 19 (ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν), ubi ἐλπίς potius est fundamentum, quo nititur spes, non ipsum sperare, et Col. 1, 23, ubi genitivus τοῦ εὐαγγελίου pendens ex nomine ἐλπίς non est obiectum, quod speratur, sed caussa et fons sperandi; est

igitur proprie *genitivus auctoris* s. originis. Idem valet de locutione ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως Eph. 1, 18; 4, 4.

Ad hanc constructionem vocabulorum ἐλπίζω et ἐλπίς cum obiecto rei speratae proxime is accedit usus, secundum quem coniunctionem ὅτι post se habent. Ita ἐλπίζω ὅτι sequente tempore futuro Luc. 24, 21; Act. 24, 26; II Cor. 1, 10. 13; 13, 6; et nomen ἐλπίς coniunctum cum ὅτι : Phil. 1, 20 : κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου ὅτι ἐν οὐδενὶ καταισχυνθήσομαι, ubi Estius et Mathies falso interpunxerunt post ἐλπίδα μου, novam sententiam inde incipere putantes, vel causalem (*quia*, sic Est.) vel explicativam (*nam*, sic Matth.). Sed ὅτι hoc loco immediate pendet e vocabulis ἀποκαραδοκία et ἐλπίς, quorum obiectum introducit ad accuratius ea definienda; quare oratio obliqua extendit se usque ad finem versus vicesimi [1]). — Iam ex hoc maxime loco diiudicandum puto de simili loco Rom. 8, 20. 21 : ἐπ' ἐλπίδι ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται κτλ.; in quo explicando adhuc controversia fuit inter viros doctos, utrum sententiam ab ὅτι incipientem immediate ab ἐπ' ἐλπίδι pendere statuendum sit, an enunciatio sit explicationi quidem verbi antecedentis inserviens, per se tamen subsistens, ita ut ὅτι vertendum sit *nam*. Priorem rationem sequuntur Castell., Reiche, Mey., Philippi, Tischendf. ed. stereot.; posteriorem cum Vulgat. et Luth. tuentur plurimi interpretes, etiam Schneckenbgr., Rück., Thol. Sed duo inprimis sunt, quae me commovent, ut priori sententiae accedam : primum, quod iam Reiche urgendum putavit, ἐπ' ἐλπίδι nimis nudum relinqui, si nova sententia ab ὅτι inchoetur. Nam ne I Cor. 9, 10 quidem haec locutio ἐπ' ἐλπίδι abs-

---

[1]) Cfr. De Wette et Mey., ad h. l.

que notione strictius eam explicante ac definiente linquitur; petenda enim est ea definitio ex altero colo. Sicut hic de exterente messem dicitur, laborare eum *ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν*, ita ad prius illud *ἐπ' ἐλπίδι* necessario supplendum est : *τοῦ θερίζειν*. — Plane diversam rationem sequitur Act. 2, 26, ubi *ἐπ' ἐλπίδι* re vera absolute et per se positum est; hic enim respondet hebraico לָבֶטַח (Ps. 16, 9), quod non male redditur a Vulg. „in spe." Describitur enim status sperandi in Deum certo se resuscitaturum, quo futurum sit corpus Christi in morte; ubi non opus est notione propius definiente hanc spem, quum per se perspicuum sit, qualis spes denotetur [1]). Idem valet de locutione *ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν* Rom. 4, 18, ubi vis vocabuli *ἐπ' ἐλπίδι* et antecedente *παρ' ἐλπίδα* et sequente *ἐπίστευσεν*, quocum in unam notionem coniungendum est, satis perspicue definitur. Hebr. לָבֶטַח nihil h. l. valere ad explicandum sensum recte adnotavit Rück. ad h. l. Non enim magis valeret haec collatio, quam si cum Hitzig. loco illo Sach. 9, 12 (אֲסִירֵי הַתִּקְוָה vincti spei) uteremur ad nostrum *ὑπετάγη ἐπ' ἐλπίδι* illustrandum. — Neque scio, quid sibi velit Meyerus, qui ad h. l. (Rom. 8, 20) illustrandum confert Demosth. Ol. I, p. 21, 10 : *ἄνθει ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν*. Nostro enim loco coniunctio demum illa : *ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν* plenam efficit notionem. Illud *credere contra spem in spem*, quod Abaelardus introd. in theol. II, p. 1060 summum gradum fidei vocat, causa fuit, quod Abrahamus pater factus est multarum gentium.

---

[1]) Ceterum non adversabor Gesenio (Lex. man. v. בֶּטַח), qui לָבֶטַח interpretatur : tuto, secure (ita Lutheri quoque versio et plerique intpp.); est enim haec simplicissima vocabuli hebraici explicatio; sed inde non sequitur, etiam *ἐπ' ἐλπίδι* ita explicandum esse, per quod LXX illud לָבֶטַח et h. l. et Hos. 1. 20 reddiderunt.

Deinde eam quoque ob causam eis interpretibus adsentior, qui enunciationem ab ὅτι incipientem immediate cum ἐπ' ἐλπίδι iungunt, quod ipsa illa repetitio vocabuli ἡ κτίσις post αὐτή, quam minime quavis analogia carere pluribus locis collatis ostendit Thol., quodammodo consulto fit h. l., cum propter rem plane extraordinariam et mirificam, quam sententia pronunciat, ipsam videlicet τὴν κτίσιν (creaturam irrationalem) liberatum iri, tum propter vocabb. τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ in fine versus nostri, quae sine dubio quodammodo opposita sunt τῇ κτίσει. In eo enim consistit spes creaturae, quod ipsa, quae creatura tantum est (*quamvis creatura tantum sit* aliquando fortius dictum foret) liberabitur, et ad libertatem quidem gloriae filiorum Dei, ad quam igitur non ipsi solum Dei filii, de quibus hoc iam constat, pervenient, sed creatura quoque irrationalis. Quare minime supervacaneam putare possum hanc repetitionem vocabuli ἡ κτίσις, tametsi vsum. 21 ad vocabula ἐπ' ἐλπίδι solum pertinere ideoque oratione obliqua compositum esse teneamus. — Locutio ἐπ' ἐλπίδι semel praeterea in N. T. invenitur Tit. 1, 2, ubi vocabulum ἐλπίς genitivo ζωῆς αἰωνίου satis perspicue definitur et tota phrasis ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου pendet ex vocabulis antecedentibus κατὰ πίστιν . . . . . . εὐσέβειαν.

Bis etiam locutionem ἐλπίδα ἔχειν cum *acc. c. infin.* constructam reperimus : Actor. 24, 15 et II Cor. 10, 15 : ἐλπίδα δὲ ἔχοντες αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κτλ. Cfr. Act. 27, 20 : ἐλπὶς τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς, ubi infinitivus vice substantivi in genitivo obiecti positi fungitur. — Ceterum locutio ἐλπίδα ἔχειν invenitur etiam Rom. 15, 4; II Cor. 3, 12; Eph. 2, 12; I Thess. 4, 13; I Joh. 3, 3.

Hactenus usus vocabuli ἐλπίς in N. To. quavis ratione consentit cum classicorum linguae graecae monumentorum

sermone, ut docent lexx. sub vv. ἐλπίζω, ἐλπίς. — Neque etiam ab eodem discrepat constructio verbi ἐλπίζω cum mero *dativo*, eius scil., in quem speratur, quae secundum lectionem nunc receptam et unice veram Matth. 12, 21 reperitur, in loco ex Jes. 42, 4 desumpto, quem evangelista ex more suo [1]) ad normam textus hebraici redegit. Itaque Matth. habet: καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν; contra Paulus Rom. 15, 12 in loco consimili, ex Jes. 11, 10 desumpto sequitur versionem Alexandrinam scribens: ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. Eiusdem usus (ἐλπίζω ἐπί τινι), posteriorum demum Graecorum proprii, exempla in N. T. etiam sunt: I Tim. 4, 10 et 6, 17. Verbum ἐλπίζω his locis non coniunctum est cum obiecto sperandi, sed cum fundamento sive fonte, e quo manat spes [2]). Econtra in constructione ἐλπίζειν ἐπί τινα, quae duobus solum locis I Tim. 5, 5 et I Petr. 1, 13 reperitur, similiter atque in πιστεύειν ἐπί τινα (Act. 9, 42; 22, 19 etc.) verbo ἐλπίζω addita est res sive persona, de qua speratur, fore ut subiecto speranti obtingat per eam, quod concupivit s. exspectavit. Ea enim proprie est vis praepositionis ἐπί cum accusativo constructae, ut finem designet s. localem s. temporalem s. causalem, in quem tendat actus verbi [3]). Qui tamen finis s. terminus sperandi ita discernendus est a simplici obiecto sperandi, ut hoc significet rem, qua se potiturum esse, vel quam sibi obtingere speret subiectum; finis vero ille simul auctor sit, e quo pendeat, vel satisfacere votis sperantis, vel deesse. Ita I Tim. 5, 5 hic

---

[1]) Vide Credn. Beiträge zur Einl. in's N. T. vol. II; Einleitg. in's N. T. p. 93.

[2]) Cfr. Ps. 9, 11, ubi LXX hebr. יִבְטְחוּ בְךָ reddunt per ἐλπισάτωσαν ἐπὶ σοί: Ps. 22, 5. 6; 28, 7; Jes. 26, 34.

[3]) Cfr. Kühner gramm. mai. II, p. 298. 299.

auctor spei implendae est Deus : *ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεόν*, spem collocavit in Deo; I Petr. 1, 13 autem est gratia divina : *τελείως ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν* [1]. Cfr. LXX Ps. 31, 25; 42, 6. 12; 43, 5; 69, 4; 130, 5. 7, ubi *ἐλπίζειν ἐπὶ θεόν, ἐπὶ κύριον* respondet hebr. יִחֵל לַיְיָ; Ps. 33, 18; 147, 11, ubi per *ἐλπίζειν ἐπὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ* redditur hebr. יִחֵל לְחַסְדּוֹ. Cfr. etiam II Reg. 18, 24, ubi *ἤλπισας σεαυτῷ ἐπ' Αἴγυπτον* respondet hebr. וַתִּבְטַח לְךָ עַל־מִצְרַיִם; Ps. 78, 22, ubi per *ἐλπίζειν ἐπὶ τὸ σωτήριον αὐτοῦ* vertitur : בָּטַח בִּישׁוּעָתוֹ.

Quod ad I Petr. 1, 13 attinet, Weifsius [2] ad h. l. negat, discrimen esse inter constructionem *ἐλπίζειν ἐπί τινι* et *ἐπί τινα*. Hoc equidem concedendum puto, sermonis versionis Alexandrinae ratione habita (v. infra). Sed ipso illo loco I Petr. 1, 13, ubi *χάρις* est finis, in quem speratur, nequaquam concedere possum, nihil omnino interfuisse, si dativo usus esset auctor, licet Weifs. multis argumentis collatis id confirmare studeat. Qui recte quidem contra Huth. ad h. l. negat fieri posse, ut Christianus *spem suam ponat* in gratia omnino nondum praesente, sed per futurum demum Christi reditum nobiscum communicanda. Sed non oportet, tantum discrimen statuere inter gratiam iam praesentem et gratiam exspectatam, quantum facit Weifsius. Ipsum illud praedicatum *φερομένη ὑμῖν*, quod additum est vocabulo *χάρις*, ostendit designari gra-

---

[1]) Congruit nostrum : sich auf etwas oder jemand verlassen, von jemd. od. einer Sache etwas hoffen, seine Hoffnung auf jemand setzen (spem collocare in aliquo), non autem : auf etwas hoffen, quo potius simplex obiectum sperandi exprimi solet; etsi interdum etiam eodem sensu usurpamus hanc phrasin, quo graec. *ἐλπίζειν ἐπί τινα*.

[2]) Der petrinische Lehrbegriff. Berol. 1855, pag. 36 not. 1. ad quem librum, eximia theologiae N. Ti. cognitione scriptum, inprimis saepe in sequentibus delegandum nobis erit.

tiam neque plane praeteritam, neque mere futuram, sed praesentem simulque posthac futuram. Talis autem gratia praesenti tempore efficax — nisi notionem plane mortuam et omni vita carentem eam designare arbitremur, sicut praeterito tempore data est, ita continuo datur et in futurum manifestabitur. Ab omni parte enim adstipulor Weifsio dicenti [1]) ἀποκάλυψιν Ἰ. Χριστοῦ, ut pluribus aliis locis, ita nostro praecipue versu praesentem Salvatoris manifestationem verbo evangelii effectam significare, *non* de futura tantum re usurpari. Iam si revelatio Christi est actus quidam continuus et durans, idem patet de gratia praedicandum esse, quae fertur in hac Christi revelatione. Quare etiam qui spem suam collocat in hac gratia, simul fretus est gratia, quam iam expertus est, et assidue se ex uberrimo eiusdem gratiae fonte nova beneficia consecuturum esse sperat, quorum ultimum erit adsumtio ad plenissimam ac perpetuam huius gratiae possessionem, quae fiet in parusia Domini. Quam duplicem huius constructionis ἐλπίζειν ἐπὶ χάριν notionem neque cum Brücknero [2]) commixtionem rerum duarum inter se discrepantium dixerim, neque cum Weifsio opinor tenebras et obscuritatem adferri sensui, si hoc modo interpretamur. Nam eam tantum ob causam spes illa simul rem praeteritam et futuram respicit, quod gratia, qua nititur et in qua versatur, utrumque tempus complectitur, quippe quae personam sperantem undique circumdat quasi sphaera, in qua tota versatur et est. — Eadem notionis ambiguitas interdum etiam obtingit nostrae locutioni : *auf etwas hoffen*,

---

[1]) l. c. pag. 87, not. 1.

[2]) Commentar. ad h. l. (Exeget. Hdbuch zum N. T. v. De Wette, edit. alt.)

ut iam supra monuimus. V. c.: ich hoffe auf Barmherzigkeit, ut est in venustissimo illo carmine Jo. Andreae Rothe: „Ich habe nun den Grund gefunden“; ubi haec misericordia divina nequaquam est mere futura illa in extremo iudicio exspectanda, sed talis, quam saepenumero multisque modis iam expertus est poeta et quam denuo et in perpetuum se consecuturum esse sperat. — Omnino autem talem ultimam et extremam gratiae s. misericordiae divinae collationem secundum doctrinam N. Ti. in obiectis spei referri posse, infra patebit, ubi de obiectis vocabuli *ἐλπίς* nobis agendum erit [1]).

Eadem fere ratione, qua *ἐλπίζειν ἐπί τινι* et *ἐλπίζειν ἐπί τινα*, sibi respondent locutiones *ἐλπίζειν ἔν τινι* et *εἴς τινα* [2]). Prioris locutionis duo solum exempla extant in N. To.: I Cor. 15, 19: *ἠλπικότες ἐν Χριστῷ*, et I Tim. 6, 17: *μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ἀλλ' ἐν τῷ θεῷ*, ubi duo diversa construendi genera coniuncta sunt. Accedit etiam Eph. 1, 12: *οἱ προηλπικότες ἐν τῷ Χριστῷ*, non vero Matth. 12, 21, ubi melior lectio solum exhibet dativum; v. supra. Posterior constructio reperitur Joh. 5, 45; II Cor. 1, 10; I Petr. 3, 5. Inde etiam nomen *ἐλπίς* bis cum *εἰς* constructum occurrit, I Petr. 1, 21: *ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς θεόν*, et Act. 24, 15: *ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν θεὸν .... ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι κτλ.*, ubi praep. *εἰς* introducit finem, in quem speratur, sive summum auctorem, penes quem est potestas spei explendae; dum acc. c. inf. exprimit obiectum spei.

---

[1]) Cfr. inprimis, quae ad Gal. 5, 5 (*ἐλπὶς δικαιοσύνης*) nobis exponendum erit.

[2]) De praepositionibus *ἐν* et *εἰς* proprie idem significantibus (cum *εἰς* ortum sit ex *ἐνς*), vide Schmidt diss. de praepp. graec. Berol. 1829, p. 50 squu.

Hoc quoque loco id valet discriminis inter usum praepositionis, quae dativum regit, et eius, quae accusativum regit, ut altera constructio fundamentum solum indicet, qua nitatur expectatio, vel etiam sphaeram, ut ita dicam, in qua versetur animus sperantis; altera simul finem, quo tendat haec fiducia. Ridiculum enim foret, si quis ἐν h. l. pro εἰς positum esse contenderet.

Si vero discrimen statuendum est inter constructionem vocabuli ἐλπίζω cum praepos. ἐπί cum dat. vel acc., et inter constructionem cum ἐν vel εἰς, id solum contendere licebit, posteriorem praecipue interiora vel fundamenti vel finis sperandi respicere, priorem magis exteriora earundem notionum attingere. Ita in loco supra laudato I Tim. 6, 17 ἀδηλότης πλούτου, quae est res externa et terrestris, praepositione ἐπί regitur; contra spiritualis notio Θεός cum ἐν praepositione constructa est.

Eisdem modis omnibus construitur etiam verbum πιστεύειν, ubi idem inter singulas constructiones discrimen locum habet: nam πιστεύειν ἐπί τινα (Act. 9, 42; 11, 17; 22, 19) vel εἴς τινα (Joh. 7, 5; Act. 14, 23 al.) [1]) proprie est: confidentem se addicere alicui, credere de aliquo, quod non fallet fidem etc.; πιστεύειν ἔν τινι (Marc. 1, 15) vel ἐπί τινι (Rom. 9, 33; 10, 11) est fiduciam collocare in aliquo, fidem suam exstruere in fundamento aliquo.

Omnino, ubi hae praepositiones usurpantur ad construendum verbum ἐλπίζω, praevalet in hoc notio confidendi, firmiter tenendi aliquid, minus tendendi in futurum s. prospectandi; vel, quod idem est: ἐλπίς, ἐλπίζω cum praepositionibus ἐν, εἰς vel ἐπί coniunctum propius acce-

---

[1]) Cfr. πίστις εἰς θεόν I Petr. 1, 21 (si verum est, εἰς θεόν h. l. etiam a voc. πίστιν pendere, v. infra); ἐπὶ θεόν Hebr. 6, 1.

dit ad notionem confidendi (*πεποιθέναι*, *πεπεισμένον εἶναι*, *πιστεύειν*); cum acc. obiecti vero magis refert significationem exspectandi s. praestolandi (ut *ὑπομένειν*, *προσδέχεσθαι*, *προσδοκᾶν*, *ἀπεκδέχεσθαι* etc.). — Cfr. append. de synonymis vocabuli *ἐλπίζω*.

Haec sufficiant de usu et constructione vocc. *ἐλπίς* et *ἐλπίζω* in N. To. Minus sibi constat sermo *versionis Alexandrinae V. Ti.*, quae magnum numerum verborum hebraicorum, quae sperandi notionem habere capite antecedenti vidimus, multis modis promiscue vertit, ita tamen, ut plerumque verba prospectandi maxime sensum exhibentia reddat per *ὑπομένω*, *ἀναμένω*, *μένω*, *προσδοκάω* aliaque verba exspectationem denotantia; contra ea, in quibus notio confidendi magis elucet, per *ἐλπίζειν* constructum cum *ἐπί*, vel *εἰς*, vel *ἐν*, vel etiam per *πεποιθέναι*.

Ita verbum יחל cum praep. לְ interdum redditur per *ἐλπίζειν ἐπί τινα* Ps. 31, 25; 33, 18; 42, 6. 12; 43, 5; 69, 4; 130, 5; 147, 11; interdum per *ἐλπίζειν ἐπί τινι*, ut Ps. 33, 22; 38, 16; Jes. 42, 4; vel per *ἐφ-ἐλπίζειν ἐπί τινι*: Ps. 119, 43; vel per *ἐλπίζω εἰς τινα* Jes. 51, 5; vel denique per *ἐφελπίζειν εἰς τινα* : Ps. 119, 74. 81. 114. 147. — יחל cum אֶל praep. bis redditur per *ἐλπίζειν ἐπί τινα* Ps. 130, 7; 131, 3. — יחל cum עַל Ps. 119, 49 significat sperare facere aliquem, spem iniicere alicui; ubi LXX usi sunt constructione *ἐφελπίζειν τινά τι* [1]).

Verbum קָוָה cum acc. obi. constructum plerumque a LXX redditur per *ὑπομένειν* cum acc. v. c. Jes. 40, 31;

---

[1]) Alter locus, quem huius usus probandi causa adlegavit Gesen. in lex. man. v. יחל : Ez. 13, 6 minime huc pertinet; nam וִיחֲלוּ ibi vertendum esse „ut expectarent“, recte docuit Hitz. ad h. l. — Ita fere Vulg. : „et perseveraverunt confirmare sermonem“; contra LXX falso h. l. interpretati sunt : *καὶ ἤρξαντο τοῦ ἀναστῆσαι λόγον*.

49, 23; Ps. 25, 3. 5. 21; 37, 9; 39, 8; 40, 2; 52, 11; 69, 7; 130, 5; Thren. 3, 25; vel per ὑπομένειν c. dat. Ps. 56, 7 (ubi significat insidiari alicui); vel per προσδοκᾶν c. acc. Thren. 2, 16; vel denique per ἀναμένειν Job 7, 2. — Etiam cum לְ praep. constructum קִוָּה redditur per ὑπομένειν c. acc. Jes. 59, 9; Jer. 14, 22; Ps. 69, 21; 119, 95; Prov. 20, 22; vel cum dat. Jes. 25, 9; 60, 9; vel per περιμένειν Gen. 49, 18; vel ἀναμένειν (cum acc. obi. vel cum εἰς) Jes. 59, 11; Jer. 13, 16; 14, 19; vel per simplex μένειν: Jes. 5, 2. 47; 8, 17; denique etiam per ἐλπίζειν ἐπί τινι Jes. 25, 9 (ubi alterum versus membrum habet ὑπομένειν τινί); 26, 8; et per πεποιθέναι ἔν τινι Jes. 33, 2; cfr. 8, 17. — קִוָּה cum אֶל redditur per ἐλπίζειν εἴς τινα Jes. 51 5, vel per ὑπομένειν τινά Ps. 27, 14; 37, 34.

Verbum בָּטַח promiscue per ἐλπίζειν et πεποιθέναι redditur, nusquam per ὑπομένειν vel ἀναμένειν etc. Sic בָּטַח cum praep. בְּ per ἐλπίζειν ἐπί τινι: Ps. 9, 11; 22, 5. 6; 28, 7; Jes. 26, 3. 4; vel ἐπί τινα: Ps. 112, 7; item per πέποιθα ἐπί τινι: Prov. 11, 28. — בָּטַח cum אֶל vertitur per ἐλπίζειν ἐπί τινι: Ps. 51, 7; vel ἐπί τινα: Ps. 4, 6; per πέποιθα ἐπί τινι Jes. 7, 4. Cum עַל praep. redditur πέποιθα ἐπί τινι: Jes. 31, 1; 36, 5. 6. 9; II Reg. 18, 20. 21; et per ἐλπίζειν ἐπί τινα: II Reg. 18, 24.

Verbum חָסָה cum בְּ praep. plerumque redditur per ἐλπίζειν ἐπί τινα: Ps. 5, 12; 17, 7; 18, 3; 25, 20; 37, 40 etc.; interdum per ἐλπίζειν ἐπί τινι: Ps. 7, 2; 31, 2; saepe etiam per πεποιθέναι ἐπί τινι: Ps. 2, 12; II Sam. 22, 3 (ubi parall. Ps. 18, 3 habet ἐλπίζειν ἐπί τινα), vel τινί: Prov. 14, 32.

Contra חִכָּה cum לְ praep. nusquam redditur per verbum confidendi, sed ubique per verba expectandi s. praestolandi, ut μένειν τινά: Jes. 8, 17; ὑπομένειν τινά: Jes. 64, 3; Zeph. 3, 8; Hab. 2, 3; Ps. 106, 13; ἐμμένειν τινί:

Jes. 30, 18, vel *ὑπομένειν τινί* : Ps. 33, 20. — Similiter verbum חוּל praestolari redditur per *ὑπομένειν* Jud. 3, 25; Thren. 3, 26; vel per *ἐπέχειν* : Gen. 8, 10. — Contra שָׂבַר magis pertinet ad verba confidendi; nam cum לְ constructum Jes. 38, 18 vertitur per *ἐλπίζειν τι*, Ruth 1, 13 per *προσδέχεσθαί τι*, et Ps. 119, 116 per *προσδοκᾶν τι*. Cum אֶל praep. est vel *ἐλπίζειν εἴς τινα* Ps. 145, 15; vel *προσδοκᾶν πρός τι* Ps. 104, 27. — Denique כִּתֵּר cum לְ Job 36, 2 vertitur per *μένειν τινα*.

Ceterum verbum *ἐλπίζειν* nusquam cum praep. *πρός* constructum inveni, etsi haec quoque coniunctio locum habere potuisset; ubi enim sensus verbi *ἐλπίζειν* tam plenus et absolutus atque quasi rotundus occurrit, ut v. c. in constructione cum *ἔν τινι* vel *εἴς τινα*, cogitari etiam potest constructio cum alia quadam praepositione. — Neque etiam constructio *ἐλπίζειν τι ἀπό τινος* vel *παρά τινος* reperitur in N. To.; pro qua tamen Luc. 6, 35 extat verbum compositum *ἀπελπίζειν* sperare aliquid ab aliquo. Apud classicos linguae Graecae auctores hoc *ἀπελπίζειν* notat desperare. Ita *ἐπελπίζειν ἀπό τι* desperare de aliqua re, in recentionem Graecorum sermone [1]).

Semel verbum *ἐλπίζειν* absolute et per se positum reperitur: II Cor. 8, 5 „*οὐ καθὼς ἠλπίσαμεν*" *κτλ.* Contra nomen *ἐλπίς* saepenumero absolute positum extat, praesertim quum sollemnem suum ac theologicum sensum obtinet. (V. infr. cap. IV.) Ita Act. 23, 6; 28, 20; Rom. 4,

---

[1]) V. c. in definitione vocabuli *ἐλπίς*, quam exhibet *Orthodoxa Conf.* eccl. orientalis, pars II, qu. 1 : „*Τί ἐστιν ἐλπίς; Ἀπόκρ : Ἡ ἐλπίδα εἶναι ἕνα θάῤῥος ἀληθινὸν πρὸς τὸν θεὸν, διδόμενον εἰς τὴν καρδίαν τοῦ ἀνθρώπου, ἀπὸ θεοῦ ἐμπνευσιν καὶ φωτισμὸν, διὰ νὰ μὴν ἐπελπισθῇ ποτὲ ἀπὸ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ, τόσον εἰς τὴν τῶν ἁμαρτιῶν συγχώρησιν, ὅσον καὶ εἰς κάθα ζήτημα, ὅταν ζητεῖται, κἂν ἕνα ἀγαθὸν ἢ ἀπὸ τὰ ἀγαθὰ τὰ πρόσκαιρα, ἢ ἀπὸ τὰ αἰώνια.*"

18; 5, 4; 8, 24; 12, 12; 15, 4. 13; I Cor. 13, 13; 2, 16; Tit. 2, 13; Hebr. 3, 6; 6, 11. 18; 7, 19; 10, 23; I Petr. 1, 3. 21; 3, 15; I Joh. 3, 3.

Cap. III.

De notione vocabuli ἐλπίς in universum spectati.

Thomas Mag. (pag. 299) dicit : ἐλπὶς ἐπὶ καλοῦ, προσδοκία καὶ ἐπὶ καλοῦ καὶ ἐπὶ κακοῦ. Similiter Suidas vocabulum ἐλπίς per προσδοκία ἀγαθῶν interpretatur. Atque si universe quidem et generatim rem spectamus, recte se habet discrimen istud, cum προσδοκία ubique vocabulum sit medium [1]) ut lat. exspectatio, ἐλπίς autem plerumque solum in bonam partem de exspectatione futuri alicuius boni accipiatur. Apud ceteros tamen linguae Graecae auctores nonnunquam etiam *metum* significat ἐλπίς, praecipue apud posterioris aetatis scriptores, v. c. Eur. Or. 859; Lucian Tyrann. 3; Phot. ep. VI. f. 70 ed. Montacut. [2]). Ita lat. sperare, v. c. in illo vsu. Virgilii (Aen. I, 543) : At *sperate* Deos memores fandi atque nefandi. — Cfr. etiam nostrum hoffen in locutione negativa: „ich will's nicht hoffen". Atque propriam quidem et originalem vim omnium horum vocabulorum non adversari huic mediae significationi, sed universe praebere sensum *exspectandi*, sive spectandi in futurum, iam supra in parte etymologica disquisitionis nostrae demonstratum est.

---

[1]) In N. To. προσδοκία semper in malam partem usurpatum est, de metu s. exspectatione rei malae, v. c. Luc. 21, 26 : „ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων"; Act. 12, 11 προσδοκία τοῦ λαοῦ, i. e. exspectatio malevolens, quam populus habet, fore ut Petrus occideretur.

[2]) Cfr. Irmisch. ad Herodian. I, cap. 3, 11 pag. 79 et 824.

In N. To. verò vocabula ἐλπίς et ἐλπίζω semper in bonam partem usurpantur, neque medius quidem sensus unquam eis obvenit, ac si generatim significent rerum futurarum exspectationem, quae vel prospere vel male cadere possint. Nam! nec Act. 16, 19 : ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν, nec I Cor. 9, 10 : ἀροτριᾶν ἐπ' ἐλπίδι valere possunt ad evincendum talem medium sensum, licet Schirlitz. in lex. ad N. T. v. ἐλπίς hoc opinatus esse videatur. — Iam si ἐλπίζω ubique est *bene sperare* et ἐλπίς semper de bono et prospero rerum futurarum eventu praedicatur, contrariae possunt esse notiones vel *metuendi*, vel *dubitandi*, vel *desperandi*. — Metus semper fere ac necessario est notio opposita bonae spei, quoniam qui nondum nactus est, quod exspectat, privari potest his bonis speratis et spe sua falli. Metuere igitur plerumque et principaliter opponi sperando, licet non diserte exprimatur contraria haec notio, maxime ex eis locis fit perspicuum, ubi una cum professione spei innuitur, fieri posse secundum humanam opinionem, ut fallat haec spes. Quod significatur verbo καταισχύνειν Rom. 5, 5, vel αἰσχύνεσθαι Phil. 1, 20. — Cfr. locos, ubi possibilitas malorum perpetiendorum (θλιψέων, παθημάτων) indicatur una cum bona spe, quam quis habet, fore ut salvus evadat ex his periculis, v. c. II Cor. 1, 6. 10; II Tim. 4, 17. 18. — Contra dubitatio tum praecipue opposita est spei, quando subiectum sperans destitutum est firma fiducia erga eum, e cuius voluntate vel potestate expletio spei pendet. Talem spem infirmam et dubitationi obnoxiam inprimis reprehendit, qui scripsit epistolam ad Hebraeos, commendans πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος (cap. 6, 11), vel ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ. Et sicut vocabulum ἐλπίς adversus notionem metuendi inprimis ornari solet praedicatis ἀγαθή (II Thess. 2, 16) vel μακάρια (Tit. 2, 13), ita praedicatum maxime conveniens vocabulo ἐλπίς,

quatenus contrarium dubitationi consideratur, est *βεβαία* (II Cor. 1, 6), vel *ἀσφαλής* (Hebr. 6, 18. 19) [1]. — Validissima denique et gravissima negatio spei indicatur notione *desperandi.* Nam qui desperat de aliqua re, omnem abiicit spem ac fiduciam, fieri posse, quod exspectavit. Atque iam supra dictum est, deesse in N. To. vocabulum tam directe notioni sperandi contrarium, cum *ἀπελπίζειν* Luc. 6, 35 aliam habeat notionem. Sensus tamen desperandi fere exprimitur Act. 27, 20 locutione : *λοιπὸν περιῃρεῖτο ἐλπὶς πᾶσα τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς.*

Iam hoc *bene sperare* secundum omnium Graecorum usum duas involvit notiones principales : alteram prospectandi, alteram perseverandi in prospectando. Semper enim, si sermo est de sperando vel exspectando, duo simul comprehenduntur notione : respectus obiecti, ad quod tendit exspectatio, et respectus ipsius actus sperandi, sive voluntatis, sive sensus appetitusve actum eum dicamus. — Cfr. adnotat. proxime antecedentem, et supra cap. I extr. — Discernendum vero est inter usum vocabulorum *ἐλπίς* et *ἐλπίζω vulgarem*, quo ad externas solum ac profanas res referuntur, et inter *religiosum* s. *theologicum*, qui

---

[1]) Huc pertinet brevis illa, quae dicitur, definitio verbi *ἐλπίζειν*, quam Paulus proposuit Rom. 8, 25 : *εἰ γὰρ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα*, ubi sumendum quidem est, re vera apostolum essentiam spei describere voluisse (falsa enim est opinio, quam nonnulli tuentur, *ἀπεκδεχόμεθα* vertendum esse : *exspectare debemus*); memorantur enim duo elementa, ex quibus necessario constat omnis spes : *patientia* scil. et *obtutus in futurum conversus.* (V. supra cap. I extr.) Non tamen dixerim Paulum definitionem spei proprio sensu proponere voluisse h. l., id quod Weifsius (l. l. pag. 66) aliqua ratione contendere videtur. Nam ne Hebr. 11, 1 quidem stricto sensu definitio vocabuli *πίστις* exhibetur. V. Bleek ad h. l.; Hofm. Schriftbew. I, p. 554.

In N. To. vero vocabula ἐλπίς et ἐλπίζω semper in bonam partem usurpantur, neque medius quidem sensus unquam eis obvenit, ac si generatim significent rerum futurarum exspectationem, quae vel prospere vel male cadere possint. Nam nec Act. 16, 19 : ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν, nec I Cor. 9, 10 : ἀροτριᾷν ἐπ' ἐλπίδι valere possunt ad evincendum talem medium sensum, licet Schirlitz. in lex. ad N. T. v. ἐλπίς hoc opinatus esse videatur. — Iam si ἐλπίζω ubique est *bene sperare* et ἐλπίς semper de bono et prospero rerum futurarum eventu praedicatur, contrariae possunt esse notiones vel *metuendi*, vel *dubitandi*, vel *desperandi*. — Metus semper fere ac necessario est notio opposita bonae spei, quoniam qui nondum nactus est, quod exspectat, privari potest his bonis speratis et spe sua falli. Metuere igitur plerumque et principaliter opponi sperando, licet non diserte exprimatur contraria haec notio, maxime ex eis locis fit perspicuum, ubi una cum professione spei innuitur, fieri posse secundum humanam opinionem, ut fallat haec spes. Quod significatur verbo καταισχύνειν Rom. 5, 5, vel αἰσχύνεσθαι Phil. 1, 20. — Cfr. locos, ubi possibilitas malorum perpetiendorum (θλιψέων, παθημάτων) indicatur una cum bona spe, quam quis habet, fore ut salvus evadat ex his periculis, v. c. II Cor. 1, 6. 10; II Tim. 4, 17. 18. — Contra dubitatio tum praecipue opposita est spei, quando subiectum sperans destitutum est firma fiducia erga eum, e cuius voluntate vel potestate expletio spei pendet. Talem spem infirmam et dubitationi obnoxiam inprimis reprehendit, qui scripsit epistolam ad Hebraeos, commendans πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος (cap. 6, 11), vel ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ. Et sicut vocabulum ἐλπίς adversus notionem metuendi inprimis ornari solet praedicatis ἀγαθή (II Thess. 2, 16) vel μακάρια (Tit. 2, 13), ita praedicatum maxime conveniens vocabulo ἐλπίς,

quatenus contrarium dubitationi consideratur, est *βεβαία* (II Cor. 1, 6), vel *ἀσφαλής* (Hebr. 6, 18. 19) [1]. — Validissima denique et gravissima negatio spei indicatur notione *desperandi*. Nam qui desperat de aliqua re, omnem abiicit spem ac fiduciam, fieri posse, quod exspectavit. Atque iam supra dictum est, deesse in N. To. vocabulum tam directe notioni sperandi contrarium, cum *ἀπελπίζειν* Luc. 6, 35 aliam habeat notionem. Sensus tamen desperandi fere exprimitur Act. 27, 20 locutione : *λοιπὸν περιῃρεῖτο ἐλπὶς πᾶσα τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς.*

Iam hoc *bene sperare* secundum omnium Graecorum usum duas involvit notiones principales : alteram prospectandi, alteram perseverandi in prospectando. Semper enim, si sermo est de sperando vel exspectando, duo simul comprehenduntur notione : respectus obiecti, ad quod tendit exspectatio, et respectus ipsius actus sperandi, sive voluntatis, sive sensus appetitusve actum eum dicamus. — Cfr. adnotat. proxime antecedentem, et supra cap. I extr. — Discernendum vero est inter usum vocabulorum *ἐλπίς* et *ἐλπίζω vulgarem*, quo ad externas solum ac profanas res referuntur, et inter *religiosum* s. *theologicum*, qui

---

[1]) Huc pertinet brevis illa, quae dicitur, definitio verbi *ἐλπίζειν*, quam Paulus proposuit Rom. 8, 25 : *εἰ γὰρ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα*, ubi sumendum quidem est, re vera apostolum essentiam spei describere voluisse (falsa enim est opinio, quam nonnulli tuentur, *ἀπεκδεχόμεθα* vertendum esse : *exspectare debemus*); memorantur enim duo elementa, ex quibus necessario constat omnis spes : *patientia* scil. et *obtutus in futurum conversus*. (V. supra cap. I extr.) Non tamen dixerim Paulum definitionem spei proprio sensu proponere voluisse h. l., id quod Weifsius (l. l. pag. 66) aliqua ratione contendere videtur. Nam ne Hebr. 11, 1 quidem stricto sensu definitio vocabuli *πίστις* exhibetur. V. Bleek ad h. l.; Hofm. Schriftbew. I, p. 554.

est sollemnis in N. To., quo de Deo rebusque divinis praedicantur. — Priore modo verbum ἐλπίζω usurpatum est : Luc. 6, 34; 23, 8; II Cor. 1, 13; 5, 11; 8, 5; 13, 6; I Tim. 6, 17. Sic praecipue, ubi apostolus spem suam cum epistolarum suarum lectoribus communicat, fore ut mox ipse ad eos veniat, vel per aliquod tempus apud eos commoretur : Rom. 15, 24; I Cor. 16, 7, cfr. Phil. 2, 19. 23; I Tim. 3, 14; II Joh. 12; III Joh. 14. — Ita nomen ἐλπίς de rerum terrestrium et externarum exspectatione : Act. 16, 19; 27, 20; I Cor. 9, 10. — Quocunque alio loco legitur, sublimiores et divinas res spectat, ita tamen, ut varii sint gradus huius spei religiosae. V. cap. sequens.

Hoc loco adhuc excutiendam puto quaestionem, de qua satis multis verbis disceptatum est inter N. Ti. interpretes, utrum scil. vocabulum ἐλπίς semper significet spem tamquam habitum s. sensum animi, an interdum etiam sensu obiectivo intelligendum sit, de eo, quod speratur. — Fuerunt enim, qui voc. ἐλπίς non solum Rom. 8, 24; Tit. 2, 13; Col. 1, 5; Gal. 5, 5; Hebr. 6, 18, sed etiam Eph. 1, 18; I Petr. 1, 13; Act. 24, 15 obiectivo illo sensu per id, quod speratur, explicandum esse censerent, ut Grot., Est., Aretius, Bengel., Olsh. all. — Econtra Meyerus ad Eph. 1, 18 (edit. prima), sensum obiectivum nullo illorum locorum agnoscere volebat, etsi in altera editione, item in explicandis locis Rom. 8, 24; Col. 1, 15, contrariam rationem sequitur. Et iure quidem, ut opinor. — Nam uno saltem locorum illorum : Tit. 2, 13, nulla alia explicatio cogitari potest, nisi obiectiva, ita ut ἐλπίς h. l. sit id, quod speratur. Quum enim hic verbum προσδέχεσθαι duos accusativos regat : τὴν μακαρίαν ἐλπίδα et ἐπιφάνειαν, quorum alter indicat obiectum exspectationis, nempe futurum Domini adventum, necesse est prior etiam accusativus accipiatur pro obiecto verbi προσδέχεσθαι.

Quum vero nequaquam ipsa spes, i. e. habitus s. actus sperandi hoc obiectum exspectationis esse possit — hic enim habitus iam dudum est eius, qui sperat — *ἐλπίς* h. l. necessario sumenda est pro re sperata. Alterum vero obiectum: *καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰ. Χριστοῦ* non diversum est a priore illo *ἐλπίς*, sed ut expexegesis potius ei additum est, ut, qua in re consistat haec spes, accuratius describatur. — Cfr. Act. 23, 6: *περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι*, ubi obiectum spei simili hendiadyoin exprimitur, etsi *ἐλπίς* h. l. non positum sit pro re, quae speratur. At vero Act. 24, 15: *ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν θεόν, ἣν καὶ αὐτοὶ οὗτοι προσδέχονται κτλ.* locus est nostri, de quo vix egimus, simillimus, cum et hic voc. *ἐλπίς* ita pendeat ex *προσδέχεσθαι*, ut nullo alio modo explicari queat, quam sensu passivo: id quod speratur [1]). — Quamquam *ἐλπίς* h. l., si omittimus interiectam illam sententiam, notionem suam ordinariam obtinet (*ἐλπίδα ἔχων*); mixtio igitur obiectivae et subiectivae notionis in eodem vocabulo facta est h. l.

Eodem vero modo cum Bleekio explicandus est locus epistolae ad Hebr., cap. 6, 18: *κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος*, ubi *ἐλπίς* proprie quidem activo s. subiectivo sensu accipiendum est flagitante contextu, inprimis versu sequente, ubi de hac spe, comparata cum anchora firma et secura, praedicatur intrare eam intimum sanctuarium, id quod nullo modo dici posset, si solum de re spe-

---

[1]) Minus aptus enim oritur sensus, si h. l. *προσδέχεσθαι* interpretamur accipere, profiteri, gelten lassen, ut Schirl. s. h. v. Locutio enim *ἐλπίδα προσδέχεσθαι* etiam apud Hellenistas (v. c. LXX Jes. 28, 10; Job 2, 9) et apud ipsos classicos linguae graecae auctores reperitur, v. c. Eurip. Alcest. v. 129: *νῦν δὲ τίνα βίου ἐλπίδα προσδέχομαι*; cfr. Theogn. v. 1140: *ἐλπίδα προσμενέτω*.

rata sermo esset. Contra epitheton *προκειμένης* nequaquam cum Camerone explicare licet per „spes, quae praesto est, quae ultro se nobis offert“, sed ex Hebr. 12, 2 (*τῆς προκειμένης χαρᾶς*) ceterisque locis a Bleekio collatis patet cogitandum esse de bonis coelestibus a Deo nobis paratis, s. de hereditate coelesti, quam spe comprehendimus et sectamur. Duplici igitur respectu simul consideratur spes h. l., quoad finalem eventum s. impletionem et quoad statum praesentem; est bonum, quod arripere (*κρατῆσαι*) quidem debemus, quod vero simul praesens habemus (*ἔχομεν*).

Neque minus perspicue obiectivus sensus voc. *ἐλπίς* elucet Col. 1, 5 : *διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Etiam h. l. obiectum spei, i. e. salus aeterna a Christo nobis parta, describitur tamquam bonum Christiano in coelis depositum, ita tamen ut per *ἀποκεῖσθαι* (cfr. II Tim. 4, 8) magis indicetur notio thesauri in coelo absconditi, dum *προκεῖσθαι* potius ad praemium certaminis nobis propositum alludere videtur [1]. — Deinde Gal. 5, 5 : *ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδέχεσθαι,* — nisi falso cum Matthies. *ἀπεκδέχεσθαι* interpretere per prehendere, arripere — nullo alio modo explicari potest, quam „exspectare iustitiam speratam“, ita ut *ἐλπίς* intelligatur sensu obiectivo et *δικαιοσύνης* sit genitivus obiecti pendens ex hoc nomine. — Neque aliter accipi potest Rom. 8, 24,

[1]) Diversi generis est locus mox sequens (Col. 1, 27), quo ipse Christus vocatur *ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης*, i. e. fundamentum s. causa spei gloriae, causa, propter quam speramus gloriam coelestem nobis obventuram. Idem significat I Tim. 1, 1 : *ἡ ἐλπὶς ἡμῶν*; Christus est, quo freti speramus, est fons et auctor spei nostrae. Cfr. I Thess. 2, 19 et locos, quos ex classicis scriptoribus ad hanc locutionem illustrandam contulit Kochius (comment. ad I Thess. p. 219); denique Act. 16, 19, de quo loco iam supra exposuimus cap. II init.

quo singulo versu *ἐλπίς* duplicem sensum obtinet, primum (*τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν*) subiectivum, deinde (*ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς*) obiectivum.

Contra Eph. 1, 18, itemque I Petr. 1, 3 solus subiectivus sensus locum habet, ut nunc iam uno consensu ab omnibus interpretibus conceditur. V. inpr. De Wette et Mey. (edit. alt.) ad hos locos. Ceterum etiam ceteri sermonis graeci auctores vocabulum *ἐλπίς* obiectivo sensu usurparunt; v. adnotationem prox. antecedentem et praeterea Thucyd. III, 57; Polyb. VIII, 26. b; II Macc. 7, 14. — Ita hebr. תִּקְוָה Job. 6, 8 : וְתִקְוָתִי יִתֵּן אֱלוֹהַּ, *καὶ τὴν ἐλπίδα μου δῴη ὁ θεός* (LXX); cfr. Job 17, 15, ubi alterum תִּקְוָה eodem fortasse sensu accipiendum est.

Cap. IV.

De notione religiosa seu theologica vocabuli *ἐλπίς*.

I. Vocabulum *ἐλπίς* de spe piorum V. Ti. usurpatum.

Fiducia, quam foederis Mosaici socii ante Christi adventum in promissionibus divinis et prophetarum vaticiniis collocabant, sicut simillima erat spei Christianorum reditum Christi omniumque rerum consummationem exspectantium, ita pluribus etiam locis N. Ti. eodem, quo haec, nomine *ἐλπίς* adpellatur. Haec temporum Messianorum exspectatio formam ac speciem sperandi exhibet necessario propriam foederis legalis, quod secundum divinam historiae salutis oeconomiam praecessit summam gratiae dispensationem, quam in Christianorum fide instituit Deus. Similitudo autem inter hanc spem Israelitarum et spem christianam consistit et in fundamento sperandi, quod secundum utramque partem est gratia divina futuram salutis et bea-

titudinis collationem firmissime adserens; et in fine sive obiecto principali sperandi, cum dux ille et salvator fidelibus Iudaicae reipublicae civibus promissus non sit alius, quam Dominus noster Jesus Christus, cuius reditum expetit exspectatio nostra tamquam ultimum huius seculi exitum vitaeque aeternae principium. *Χριστὸς ὁ ἐρχόμενος* (Habac. 2, 3; Hebr. 10, 37; Matth. 11, 3; Luc. 7, 19. 20; Apoc. 1, 4. 8; 11, 17) utrimque est caput et principium omnium exspectationum; sub V. tamen Testamento tantum est „*ὁ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον*" (Hebr. 10, 5; cfr. 1, 6); in Novo autem „*ὁ πάλιν ἐρχόμενος καὶ παραληψόμενος ἡμᾶς πρὸς ἑαυτόν* (Joh. 3, 14) vel „*ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενος ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς* (Matth. 24. 30; cfr. Dan. 7. 13).

Iam cum disquisitio nostra solam theologiam N. Ti. spectet, non est cur h. l. fusius de ipsa indole et natura spei veteris foederis disseramus, praesertim quum vix tali operi sufficere possemus, nisi universo itinere ac progressu rerum israeliticarum, inpr. rei propheticae diligenter perlustrato [1]). Sufficiat igitur hoc loco eos solum N. Ti. locos percensuisse, in quibus mentio fit huius spei piorum V. Ti. propriae, eo inprimis consilio, ut pateat, quid ei commune sit cum spe N. Ti. strictiore et proprio sensu ita dicta et qua ratione haec Christianorum spes differat ab illa atque eam exsuperet [2]).

Principium et fundamentum spei V. Ti. sunt promissa (*ἐπαγγελίαι*) Abrahamo, patri Israelitarum, a Deo data:

---

[1]) De Israele, gente promissionis et spei, cfr. quae exposuerunt **Hofm.** Weissgg. und Erfüllg. I, pag. 37—40; Schriftbews. III, 292; **Delitzsch**, bibl. Psychologie, p. 109. 110; Umbreit, die Sünde im A. Test. p. 103. 104.

[2]) Cfr. **Weifs.**, l. c. pag. 33. 34; pag. 50, nt. 1.

Act. 8, 5. 17; Hebr. 11, 8—11. 17; Rom. 4, 13 etc.; Gal. 3, 8. 16 etc. Quare sicut hic patriarcha, qui fidem tribuebat his pollicitationibus, iustificatus esse dicitur ex fide (Rom. 4, 3 squu.; Gal. 3, 6), ita simul cum hac fide praedicatur eius *spes* : Rom. 4, 18 [1]). Nam spes eius in promissione divina, nasciturum ei esse filium ex Sara uxore, innixa fundamentum et quasi summam fidei eius efficiebat (id significatur vocabulis *ἐπίστευσεν ἐπ' ἐλπίδι*), quamquam secundum humanam ratiocinationem externamque rerum speciem nihil spei reliquum esset (*παρ' ἐλπίδα*). Proinde una cum hac exspectatione heredis a Deo sibi promissi prospectabat in tempora futurae salutis, quam Deus posteris ex semine suo per promissum filium procreandis se daturum pollicitus fuerat. Nam gaudium, quod cepit Abrahamus ex ortu Isaaci filii, simul fuit gaudium de eo, qui summo ac verissimo sensu eius *semen* (Gal. 3, 16) futurus erat, Christo. Hoc enim modo intelligendum puto ipsius Christi illud (Joh. 8, 56) : *Ἀβραὰμ ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν, καὶ εἶδεν καὶ ἐχάρη* [2]).

Eadem exspectatio futurae salutis idemque desiderium temporum Messianorum videndorum *prophetis* tribuitur. Ita Christus Matth. 13, 17 (Luc. 10, 24) dicit, multos reges prophetasque cupivisse videre, quae apostoli sui videant, nec vidisse etc. Simili modo Petrus in priore

---

[1]) De constructione et sensu huius loci iam supra cap. II ex parte est expositum.

[2]) Ita cum Hofm. Weissgg. und Erf. II, pag. 12 etc.; Schriftbws. III, 279. 280 interpretor hunc locum, dissentiens a Meyero, cui »dies Christi« solum est „ein Moment der unbestimmten Zukunft — verwirklicht nicht im Leben auf Erden, sondern in seinem paradiesischen Zustande"; item a Beng., Olsh., all., qui de certo momento in vita terrestri patriarchae cogitant, ubi singulari revelatione gloriam Christi viderit.

sua epistola hanc spem prophetarum comparat cum conditione aequalium suorum credentium, qui per evangelium participes facti sunt gratiae, quam illi exspectaverant; qua comparatione ostendit, quantopere hic Christianorum status et securitate et beatitudine excedat illam piorum veteris foederis conditionem (I Petr. 1, 10—12).

Christus igitur est finis, ad quem per universum V. T. simul tendunt et promissiones divinae et exspectationes filiorum Abrahami inde ortae ac profectae. Quare Eph. 1, 12 Paulus Iudaeos sui aevi, qui ad gratiam in evangelio Christi exhibitam pervenerunt et quibus se ipsum adnumerat, vocat : *τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ*, i. e. tales, qui antequam ipse in mundo appareret, spem et fiduciam suam in Christo promisso a Deo posuerunt. Frustra enim De Wette ad h. l., item Rück., Holzh., Matth. probare student, verbum *προελπίζειν* h. l. de spe futurae gloriae divinae in parusia Christi manifestanda usurpatum designare spem Christianorum in universum, et eorum, qui ex Iudaismo ad fidem amplectendam accessissent, et gentilium conversorum. Etsi enim *προελπίζειν* nolim ita interpretari cum Beng., Flatt., Olsh., ut sensus oriatur : „prius sperasse Iudaeos in Christum, *quam gentiles*“, vel etiam „quam gentiles ad notitiam illius spei pervenissent“ (sic Harless.): tamen part. pfcti *προηλπικότας* satis perspicue indicat agi h. l. de re ad praeteritum tempus pertinente. Nam si de re futura sermo esset in versu nostro, h. e. si illud *εἶναι εἰς ἔπαινον δόξης αὐτοῦ* de futura solum glorificatione Dei in parusia Christi exspectanda intelligendum esset, vix credo apostolum tum se ceterosque Christianos, qui ad hanc glorificationem augendam collaturi sint, vocasse *προηλπικότας*; multo potius verisimilius est tum praesentem statum spei Christianae eum descripturum fuisse, quod quidem faciendum ei fuisset

per part. praes. προελπίζοντας, vel rectius per merum ἐλπίζοντας. Quod enim alterum affertur argumentum ad nostram sententiam refellendam, praepositionem προ in verbo composito non indicare rem ad vetus T. pertinentem [1]), futilissimis fundamentis nititur. Quin etiam contra totius N. Ti. sermonis usum foret, si h. l. spem christianam, i. e. spem futuri reditus Christi in gloria sua, secus ac simplici verbo ἐλπίζειν designatam statuendum esset. Immo vero sicut προευαγγελίζεσθαι Gal. 3, 8 designat nuntium evangelicum a Deo emissum, ante quam ipsum N. Ti. evangelium adesset [2]), ita composito προελπίζειν significatur spes, quae antecessit ipsam spem veram atque manentem in aeternum I Cor. 13, 13. — Deinde quod opinatur De W., si hanc spem V. Ti. significare voluisset apostolus, tum ei scribendum fuisse εἰς Χριστόν, non ἐν Χρ., hoc nullo modo probari potest. Paulus, qui paulo ante scripserat Deum elegisse nos *in* Christo, non *ad* Christum vel Christi causa (v. 4; cfr. etiam v. 10 : ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ), potest etiam Christum sumsisse pro sphaera, in qua tota versabatur spes Judaeorum, vel adeo pro fundamento, quo nitebatur. — Denique totus loci contextus ostendit τοὺς προηλπικότας solum de eis ecclesiae christianae membris intelligi posse, quae antea Judaicae civitatis socii fuerant. Probat hoc sequens καὶ ὑμεῖς v. 13, quo separatim adloquitur apostolus gentiles ad fidem christianam conversos, quos dicit ipsos quoque audivisse et credidisse verbum veritatis, dum illi — Judaei credentes, quorum unus ipse est Paulus — ante sperassent in Christo, i. e. cum spe sua in ea sphaera

[1]) ita etiam Beng. : τὸ *ante* non refertur ad V. Ti. tempora.

[2]) cfr. etiam προεπαγγέλλεσθαι Rom. 1, 2.

vel conditione versati essent, qua Deus salutem suam gratiamque in Christo hominibus impertiendam praeparaverit. Versu 10 enim utramque partem generis humani, Judaeos et ethnicos, coniunctim respicit (ἀνακεφ. τὰ πάντα ἐν Χριστῷ); tum versu 11 et 12, quod vix de toto genere praedicaverat, seorsum tribuit suae genti, quae est gens electa, unde procedit salus mundi et quae inprimis confert ad extollendam gloriam divinam (εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον δόξης αὐτοῦ); deinde vsu. 13 dicit etiam gentiles participes factos esse huius salutis, praedicatione evangelii audita atque accepta; denique vsu. 14 ambas partes rursus complectitur, ita tamen, ut hic quoque Israel principalem obtineat locum. — Haec est sola huius loci interpretatio, quae et cum universa Pauli doctrina convenit [1]), et praecipue cum singulari consilio atque argumento epistolae ad Ephesios, quae quum tota versetur in beneficiis Dei erga ecclesiam suam describendis, pluribus locis duos illos factores, ex quibus composita est ecclesia, Judaeos et ethnicos, seorsum respicit atque inter se comparat. Cfr. totum cap. 3, et inprimis cap. 2, 11—22, ubi exponitur gentiles, inimicos quondam et alienos a V. Ti. promissionibus, nunc iam misericordia divina in consortium cum fidelibus esse adscitos. Status gentilium, ante quam in ecclesiam reciperentur, ibi (v. 12) describitur vocabulis : ἐλπίδα μὴ ἔχοντες καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. Etiam h. l. vocab. ἐλπίς de spe Judaeorum divinis promissionibus adhaerentium et tempora Messiae expectantium accipio, quam interpretationem inprimis commendat vocabulum proxime antecedens τῆς ἐπαγγελίας. Falso igitur hoc quoque loco De W. :

---

[1]) cfr. inprimis Rom. 1, 16; 2, 9. 10; 3, 1. 2; 9, 4; 11, 16—25; 15, 8. 9.

„man mufs den Begriff ἐλπίς hier in seinem ganzen paulinischen Umfange nehmen“. Etsi Theophyl. quoque erret, qui de sola spe resurrectionis cogitat. Nam ne I Thess. 4, 13 quidem notio vocabuli ἐλπίς tam arctis finibus circumscribenda est, ut solum de resurrectionis spe intelligatur [1]). Nam hic quoque, ubi apostolus monet lectores suos, ne dolorem suscipiant de mortuis: „καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα“, vocabulo ἐλπίς inest notio quaedam ad Christum salutemque ab eo partam respiciens; sequens enim versus ostendit, causam, quae vetet desperare de mortuis, Christi resurrectionem esse, ita ut hoc quoque loco Christus sit proprium et praecipuum obiectum spei.

Proxime ad hunc vocabuli nostri usum complures accedunt loci in Actis apostt., ubi vocab. ἐλπίς, etsi ad notiones sacras V. Ti. proprias pertineat, praecipue tamen de spe resurrectionis usurpatum est. Paulus enim accusatus a Judaeis et in summum vitae periculum adductus, alteram eorum partem, Pharisaeos scil., eo sibi conciliare studet, ut se ipsum sectatorem dogmatis eorum de mortuorum resurrectione et de spe vitae aeternae profiteatur: Act. 23, 6; 24, 15. 21; 26, 6. 7; 28, 20. Poterat sane ita de se dicere apostolus, qui etiam in ep. ad Philipp. se ipsum Pharisaeum vocat (Phil. 3, 5). Spes enim resurrectionis quodammodo signum peculiare et characteristicum (si h. voc. uti licet) religionis V. Ti., qualem Pharisaei profitebantur, erat, ita ut Sadducaei hac saltem ratione plane ad incredulas ethnicorum opiniones descivissent [2]).

[1]) Ita etiam Kochius in comment. ad hanc epist. pag. 249.

[2]) Cfr. Mey. ad Act. 23, 6, qui obtime defendit Paulum contra dubitationes a compluribus prolatas, an quavis ratione verum locutus sit hac in re; v. etiam Neand., Gesch. der Pflanzg. und Leitg. etc. I, pag. 490, edit. IV; Schmid, bibl. Theol. II, p. 33. 34.

Neque tamen voc. ἐλπίς his locis nihil aliud nisi meram resurrectionis spem significare mihi persuadere possum. Cap. 26 v. 6 enim manifesto latiore sensu usurpatum est : nam „ἐλπὶς τῆς εἰς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίας γενομένης ὑπὸ τοῦ θεοῦ“ nulla alia potest esse, nisi spes regni aeterni a Messia condendi secundum promissionem divinam [1]). — Eodem sensu latius patente etiam c. 23, 6 accipiendum erit, ita ut „περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν“ non absolute sit hendiadyoin; item c. 28, 20: „ἡ ἐλπὶς τοῦ Ἰσραήλ. Solum c. 24, 15 : „ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν θεόν..... ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι δικαίων τε καὶ ἀδίκων“, spes unice ad resurrectionem mortuorum refertur. Sed poterat sane haec ἐλπὶς τῆς ἀναστάσεως νεκρῶν simpliciter et absolute nuncupari ἐλπὶς τοῦ Ἰσραήλ, eo praecipue sensu, quo a Paulo accipiebatur, qui hanc resurrectionis spem per *Christi* mortem et resuscitationem denuo partam nobis et quasi obsignatam sentiebat [2]). Nam ea demum vera et sana erat spes de futuro promissionum divinarum vaticiniorumque propheticorum eventu, quae Christum tamquam mediatorem et largitorem, tamquam summam et caput omnium illarum expectationum tenebat. Quodsi erant, qui aliter, i. e. omisso et neglecto Christo, sperarent resurrectionem, hi vanae et falsae expectationi indulgebant; nam priore solum ratione Paulus se ipsum sectatorem spei et dogmatis illius Pharisaeorum profiteri poterat [3]), et talis

---

[1]) Ita Mey. ad h. l. , qui recte argumentum sumit ex vsu. squ., ubi describitur, quem ad modum tota gens XII tribuum (τὸ δωδεκάφυλον) unanimi consensu hanc spem foverit.

[2]) Cfr. v. c. I Cor. 15, 14. 17. 18; I Thess. 4, 13.

[3]) Recte Mey. l. c. : »Er hatte von dieser Hoffnung gepredigt, der auferstandene Jesu werde sie verwirklichen, und das eben war der Grund seiner Verfolgung.“

demum resurrectionis spes intime cohaerens et concreta cum expectationibus de vero Messia eiusque regno aeterno, digna erat ac legitima continuatio spei illius de mortuorum resurrectione, quae omnino peculiaris quaedam nota religionis V. Ti. appellari potest [1]). Nam non exilii demum temporibus ortas esse opiniones de carnis resurrectione in V. To. verisimillimum mihi reddidit Hofmannus eis, quae Schriftb. vol. III, pag. 461 squu. congessit, argumentis.

Praeter resurrectionem praecipuum spei piorum V. Ti. obiectum erat *consolatio* et *recreatio*, una cum adventu Messiae promissi expectanda. Quare haec tempora salutis Messianae Petrus Act. 3, 20 vocat καιροὺς ἀναψύξεως; cfr. κατάπαυσιν sive σαββατισμόν, qui secundum Hebr. 4, 1. 9 instat genti Dei. Inprimis vero huc pertinet παράκλησις τοῦ Ἰσραήλ, quam Symeon expectabat extremo ante Christum natum tempore Luc. 2, 25. Est haec locutio metaphorica et poetica, desumpta ex Jes. 57, 18; cfr. cap. 40, 2; 51, 3; 52, 9; 66, 13; item Sach. 1, 13; Jer. 16, 7. — Eodem capite II evangelii sec. Lucam narratur de Anna prophetide, communicasse eam gaudium suum de Messia, quem invenisset, πᾶσιν τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν Ἱερουσαλήμ v. 38, cuius locutionis sedes originalis videtur esse Jes. 52, 9 : גָּאַל יְרוּשָׁלִָם; cfr. Jes. 41, 14. — Similis locutio est ἀποκαθιστάνειν τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ Act. 1, 6; et : χρόνοι ἀποκαταστάσεως Act. 3, 21, nisi h. l. cum Weissio (der petr. Lbgr. pag. 87, not. 2) de ethica restitutione et reformatione cogites, secundum Mal. 3, 23. 24; cfr. Matth. 17, 11; Marc. 9, 12.

Iam centrum et quasi caput rerum ab his fidelibus V. foederis sociis speratarum neminem fuisse alium, nisi Chri-

---

[1]) Cfr. locos supra laudatos Eph. 2, 12; I Thess. 4, 13; Act. 28, 20.

stum, patet quum ex tota illa narratione de Symeone et Anna, qui statim, quum in Jesum puerum incidissent, adorare eum coeperunt; tum praecipue ex praeclaris illis laudibus gratibusque Symeonis vs. 29—32, quibus Christus vocatur summa rerum expectatarum et desideratarum, immo ipsa salus divina (τὸ σωτήριόν σου). — Conferenda quoque est quaestio illa discipulorum Johannis Bapt. (Matth. 11, 3, par.) : Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; ubi illud προσδοκᾶν, quod fere absolute positum est, significat spem Messiae restitutoris regni Israel.

In evangeliis ipsum verbum ἐλπίζειν duobus solum locis reperitur : Matth. 12, 21, in vaticinio Jesaiano de servo Dei : „καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν", cfr. Rom. 15, 12; et Joh. 5, 45, ubi Christus stolidam fiduciam, quam in sua ipsorum virtute externisque legis operibus ponant Judaei, reprehendens „Ipse Moses" inquit „est accusator vester, in quem vos speravistis" (εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε). Fuerunt qui Servatorem h. l. expectationem quandam reditus Mosis ad regnum Messianum inchoandum perstringere velle arbitrarentur, quam opinionem Judaeis illorum temporum usu venisse ex Matth. 17, 3 colligunt (ita v. c. Paulus ad h. l.). Sed recte docuit Meyerus solum agi h. l. de intento studio et obsequio erga legem Mosis, quo auctore ac defensore se ad salutem coelestem perventuros esse sperarent Judaei.

Contra spes, quam piae sanctaeque mulieres V. Ti. in Deo collocatam habuerunt secundum I Petr. 3, 5 et quam commendat apostolus mulieribus christianis sui aevi tamquam ornatum pulcherrimum (αἱ ἅγιαι γυναῖκες αἱ ἐλπίζουσαι εἰς θεὸν ἐκόσμουν ἑαυτάς), ea, sicut ex sententia scriptoris exemplar christianae virtutis eam proponentis perspicuum fit, Messiana elementa, ut ita dicam, in se continet et expectationibus illis, a promissis Dei pro-

fectis et per prophetarum vaticinia nutritis, adnumeranda est. Cfr. Weifs. l. c. pag. 46.

II. Ἐλπίς christiana strictiore sensu ita dicta.

a. De fundamento spei christianae.

Fundamentum, quo nititur spes sociorum novi foederis est *gratia divina*, quae eis usu venit in redemptione per J. Christum, coniuncta cum novis salutis et gloriae aeternae promissionibus ab ipso redemptore datis et a Sp. Scto. obsignatis. Salus, quam summo desiderio expectaverant patres et prophetae, iam in Christo apparuit; sed quum secundum divinae sapientiae cuncta moderantis leges recentis huius gratiae dispensatio non uno et quasi magico actu absoluta esse posset, necessario porro ad futuram expletionem et consummationem salutis tendebat spes eorum, qui gratiae illius in Christo exhibitae compotes facti erant. Itaque qui fide apprehendit salutem a Christo partam, propter gratiam, quam iam accepit, denuo sperat se gratiam esse assecuturum Joh. 1, 17. Sperat igitur *de* gratia *in* gratiam (cfr. II Cor. 3, 18) [1], secus atque Abrahamus Rom. 4, 18, qui *contra* spem credebat *in* spem. Est haec spes necessario coniuncta cum fide amplectente salutem nondum omnibus numeris perfectam atque absolutam, de qua Paulus scribit : *τῇ ἐλπίδι ἐσώθημεν* Rom. 8, 24; est virtus illa, qua supplemus cordibus nostris, quae etiam nunc desunt de pleno ac perpetuo beatitudinis sensu, donec ad ipsam summam felicitatem pacemque aeternam in altera vita fruendam pervenerimus.

Generatim igitur spes christiana nititur gratia divina, quae in Christo revelata est. Hanc gratiam fundamentum

---

[1]) Cfr. etiam Ps. 84, 8 : יֵלְכוּ מֵחַיִל אֶל־חָיִל.

spei vocat Petrus in prioris suae ep. cap. 1, v. 13: „ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν ἐν ἀποκαλύψει Ἰ. Χριστοῦ". Quam enunciationem ita esse intelligendam, ut χάρις simul pro fundamento et pro obiecto spei accipiatur iam supra cap. II exposuimus. Similiter Paulus II Thess. 2, 16 gratiam divinam basin vocat et tamquam sphaeram, in qua versetur spes fidelium. Hic enim sensus est verborum: „θεὸς ..... ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι, licet hoc ἐν χάριτι non e nom. ἐλπίδα tantum pendeat sed ad δοὺς referendum sit [1]), ita ut gratia dicatur medium, in quo nobis data sit consolatio et spes.

Solus Christus fundamentum (simulque obiectum) sperandi vocatur I Cor. 15, 19, qui locus inprimis quod ad constructionem verbi ἐλπίζειν cum praep. ἐν attinet, simillimus est illius Eph. 1, 12, de quo v. sub I huius capitis; item Col. 1, 27: ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, et I Tim. 1, 1: ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, ubi ἐλπὶς denotat causam spei ex noto illo loquendi usu, qui praeterea locum habet Act. 16, 19; 1 Thess. 2, 19 [2]). — Patet largitorem gratiae eodem iure fontem sive radicem et originem spei adpellari posse, quo ipsam gratiam. Quare etiam *Deus* interdum nominatur, ubi sermo est de principio et fundamento sperandi, v. c. Rom. 15, 13: ὁ θεὸς τῆς ἐλπίδος, i. e. Deus, qui dat spem et ad quem redit omnis nostra spes, qui est auctor simulque finis expectationum nostrarum. Ibi voc. ἐλπὶς plenum suum ac sollemnem obtinere sensum, quo praeclaram beatamque illam spem Christianorum propriam designet, recte

---

[1]) Cfr. quae adnotavit Lünemann. ad h. l.

[2]) Contra I Thess. 1, 3 (ἡ ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ Χρ.) Christus solum est obiectum spei, vel praecipue saltem; inprimis enim h. l. respicitur parusia Domini. Cfr. Lünem. ad h. l.

intellexit Bengelius, qui ad h. l. adnotavit : „*Deus spei*, nomen Deo gloriosum : gentibus ignotum antea. Nam falsa dea Spes fuerat; cuius aedem Romae, fulmine ictam, Livius libro 21, iterumque incendio conflagratam, libro 24 memorat." Sicut enim omnis spes, quatenus vera est, procedit a Deo, ita is demum verus est ac vivus Deus, qui spem donat veram neque fallacem futurorum beneficiorum. Quare ethnici, qui procul aberrant a vero Deo per Christum revelato, simul sunt ἐλπίδα μὴ ἔχοντες et ἄθεοι : Eph. 2, 12; cf. I Thess. 4, 13.

Praeterea Deus est fundamentum sperandi I Tim. 4, 10 : ἠλπίκαμεν ἐπὶ θεῷ ζῶντι, ubi attributum ζῶν, quo insignitur Deus, una cum sequenti enunciatione relativa ὅς ἐστιν σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν, satis perspicue ostendit agi de spe christiana procedente a salute in Christo nobis collata. — Cfr. I Tim. 5, 5, quo loco Paulus idem fere praedicat de vidua pia christiana, quod supra Petrum in sanctis V. Ti. mulieribus laudare vidimus (I Petr. 3, 5), spem scilicet earum collocatam fuisse in Deo. Tenendum tamen est, θεόν utroque loco simul notare fundamentum et finem s. obiectum sperandi (v. supr. cap. II). Et nescio annon posterior notio h. l. praevaleat, qua Deus obiectum vocetur viduae desideratum atque exoptatum. Apostolus enim alludere videtur ad spiritualia quaedam sponsalia inter viduam et Deum, ita ut is propr. sit sensus h. loci, viduam vere solitariam et orbatam praestolari Deo vel Christo, tamquam coelesti suo sponso, qui aliquando liberaturus sit eam a quovis malo et in domum suam aeternae gloriae plenam recepturus. — Denique I Tim. 6, 17 Deus simpliciter ac generatim dicitur spei fundamentum, quatenus scil. omnis doni boni ac perfecti largitor est (Jac. 1, 17). Hortatur enim h. l. apostolus divites, ne aliquam spem collocent in divitiis fallacibus atque

instabilibus, sed in Deo potius quodvis bonum copiose largiente ad fruendum. Sed hic quoque spem non mere terrestrem innuere auctorem, ostendit vs. 19, ubi tamquam finis et eventus spei illius ceterarumque, quas divitibus commendavit, virtutum, indicatur, ut comparent sibi firmum et securum fundamentum in futurum tempus, quo innixi verae atque aeternae vitae compotes fiant. Quare hoc quoque loco ex parte saltem de spe christiana eiusque principiis agitur.

Aliquanto strictius et definitius fundamentum, in quo exstruere sese debeat spes christiana, designatur Col. 1, 23: „ἡ ἐλπὶς τοῦ εὐαγγελίου", i. e. spes per evangelium parta s. effecta, qua certo credimus perventuros nos ad hereditatem illam coelestem evangelio nobis promissam. Cfr. Col. 1, 4. 5: „διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ἐν οὐρανοῖς, ἣν προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου. — Non enim in universo tantum sensum gratiae per Christum nobis collatae fundamentum esse spei christianae, sed expressis etiam verbis promisisse Dominum certa bona, et sanciendo veteres prophetarum promissiones, et novas easque splendidiores etiam addendo, optime exposuit Weifs. l. c. pag. 50 etc.; ubi inter principalia huius spei christianae s. evangelicae obiecta ab ipso Salvatore promissa ac promulgata, inprimis refertur *praemium* patientiae ac perseverantiae fidelium, *hereditas* (κληρονομία) regni coelestis et summa *gloria* et *salus* aeterna in parusia Domini nobiscum communicanda. — Idem fere, quod ἐλπὶς τοῦ εὐαγγελίου, denotat ἐλπὶς τῆς κλήσεως, i. e. spes effecta per vocationem ad gratiae evangelicae societatem, qua phrasi bis utitur Paulus in ep. ad Ephes.: c. 1, 18, et 4, 4. Quae locutio etsi generaliter tantum adumbrat causam spei christianae, satis aperte tamen indicat nunciatio-

nem evangelicam esse, qua in hanc spem adducti simus. Cfr. II Thess. 2, 14.

Paulo diversa ratione fundamentum, quo niti oporteat spes Christianorum, Petrus definit in prioris suae ep. cap. 1 vs. 3 et 21, etsi res plane eadem maneat : gratia scil. divina in opere salutari Christi manifestata. Priore loco laudibus tollit Deum, qui *per resurrectionem Christi* regeneraverit nos ad spem vivam; ita enim explicanda esse verba, non autem „δι' ἀναστάσεως Ἰ. Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν" cum adiectivo ζῶσα tantum coniungendum censeo, probans quae Weifsius disseruit l. l. pag. 299, n. 1. Videmus hic doctrinam Petri aliquatenus propriam, spem nostram inprimis proficisci e resurrectione Christi, cuius effectu tamquam in novam vitam nati simus. — Eandem sententiam exprimit vs. 21 eiusdem capitis. Nam ea enunciationis „ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς θεόν" interpretatio, quam Weifs. (pag. 42 etc.; cfr. 298 sqq.) proposuit : „*ita ut fides vestra simul sit spes in Deum*", mihi quidem unice vera esse videtur atque ea, quam contextus flagitat. Non enim verendum puto, ne tenebrae adferantur loco nostro hac explicatione, quae quodammodo commiscere et confundere videtur duas illas notiones (πίστιν et ἐλπίδα), quovis alio loco bene distinctas. Nam etiam Hebr. 11, 1, in notissima illa, quam vocant, definitione fidei, ubi fides dicitur fundamentum spei, vel proprie : firma persuasio existere res a nobis speratas, et quidem pro nobis existere, nobis esse destinatas et conservatas [1]), natura fidei ea ex parte describitur, quae ei communis est cum spe, futurorum scil. temporum consideratione

[1]) Hanc enim explicationem locutionis ἐλπιζομένων ὑπόστασις, proxime accedentem ad eam, quam Bleekius proposuit, unice veram esse existimo.

rerumque nondum praesentium expectatione; simili modo, quo Rom. 8, 24. 25 spes describitur praecipua earum partium habita ratione, quas cum fide communes habet [1]). — Ita nostro quoque loco verisimillimum duco, Petrum fidem ea ex parte describere voluisse, qua protinus in futurum tendat et ultra explicetur atque evolvatur, ut ita dicam, in spem gratiae ac salutis aeternae, praesertim quum initio totius sententiae, quae hic explicit, versu 17 scilicet, exordium sumsisset scriptor a spe futurae habitationis nostrae in mansione coelesti. Eo enim spectat voc. *παροικία* secundum singularem Petri usum atque doctrinam : cfr. cap. 2, 11 [2]). — Iam si recte se habet haec loci nostri interpretatio, re vera cum Weifsio (p. 44) dicere poterimus, fidem Petro quasi basin ac praeparationem spei esse, seu fundamentum et solum, ex quo efflorescat spes; hanc vero ipsam proprie ei videri summam et centrum regeneratae Christianorum vitae. Causa vero, propter quam haec commutatio fidei in spem fit, rursus est resurrectio Christi ex mortuis una cum eius glorificatione, cuius auctor summus est Deus omnipotens. In hunc igitur et fides et spes inde nata ad extremum redit. Habemus igitur quodammodo triplicem spei christianae causam indicatam in vsu nostro, primum absolute *efficientem*, quae est Deus; deinde quasi *applicatricem* s. *mediatoriam*, resurrectionem Christi; denique nostra ex parte *apprehendentem*, quae est fides (*ὑπόστασις ἐλπιζομένων*). Sic etiam in prioré illo loco cap. 1, 3 hae tres causae adumbratae extant; nam illud *ἀναγέννησας* eandem significat rem, quae vs. 21 indicatur

---

[1]) Cfr. etiam II Cor. 3, 7 : *διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους*, ubi *πίστις*, similiter ac Hebr. 11, 1 in universum respicit res invisibiles simulque speratas, quum contrarium sit ipsius harum rerum conspectus.

[2]) Vide infra, Cap. V, et Weifs. l. c. pag. 30.

per πίστιν; quippe fides solum subiectiva pars est regenerationis, quae obiective efficitur per resurrectionem Christi.

Diximus supra, hanc doctrinam de spe parta ac confirmata per Christi resuscitationem aliquo modo Petri esse propriam ac peculiarem. Atque ea quidem ratione eam differre puto a Paulina de vi et effectu resurrectionis sententia, quod secundum hanc resurrectio Domini obsignat et confirmat nobis spem propriae nostrae resurrectionis [1]), dum Petro ἐλπίς illa, ad quam Deus regeneravit nos Christum resuscitando, latiore sensu usurpetur, ita ut gloriam simul coelestem ceteraque bona aeterna Christianis promissa complectatur. Non enim ad *resurrectionem* nostram tantum referendam esse spem, de qua sermo est I Petr. 1, 3, recte probavit Weifs. pag. 301, not. 1, contra D. W., v. Cölln., Baumg.-Crus., Schum., Steinm., all. Sequens enim versus docet, totam Christianorum κληρονομίαν obiectum esse huius spei. — Alterum vero discrimen inter Petri et Pauli de vi resurrectionis sententias, quod pressit Weifsius, multo inferioris momenti esse arbitror. Quod enim ille ait (l. c. pag. 300), ex Pauli sententia regenerationem per Christum mortuum ac resurrectum effectam in cordibus fidelium esse ethicum quendam actum, quo hi una cum Christo resurgant ex spirituali sua morte ad novam fidei vitam, id haud ita lato intervallo a Petrina doctrina de regeneratione s. nova creatione per verbum divinum (cap. 1, 23) distare puto. Etsi enim Petrus, similiter atque Jacobus (1, 18. 21) inprimis premit *voluntatem* et omnipotentiam divinam, qua fiat regeneratio ista: minime tamen omnem hominis activitatem in illa vitae trans-

1) Rom. 8, 11; 1 Cor. 6, 14; 15, 20. 21; II Cor. 4, 11. 14; I Thess. 4, 14 etc.

formatione excludere potuit, id quod perspicue ostendit duplex illa fidei commemoratio in vsu. 21; cfr. Jac. 1, 21, ubi monentur Christiani, ut capessant (δέξασθε) divinum illud verbum animis insitum. Hoc tamen certum est, Petrum in primis praedicare spem tamquam consecutionem et effectum regenerationis, Paulo vero potissimum fidem esse, per quam et ad quam regeneremur. Ceterum resurrectionem Christi non nude et per se solum spectatam, sed una cum sequenti glorificatione et adsumptione ad divinam maiestatem fundamentum esse spei nostrae ex Petri sententia, recte tuetur Weifs. pag. 304, qui inprimis ex cap. 1, 21 et 3, 21. 22 prioris epistolae docet, ad plenam et perfectam gratiae collationem opus esse perpetua illa dignitate regia et iudiciali, quam adeptus sit Christus ad dexteram patris exaltatus.

Hactenus praeter obiectiva illa fundumenta spei christianae unam saltem conditionem spei ex parte hominis praestandam commemoratam reperimus, *fidem* scil.: I Petr. 1, 21 et Hebr. 11, 1. Conferendus etiam est loc. Rom. 15, 13, ubi pax et gaudium, quibus Deus implet nos ἐν τῷ πιστεύειν (i. e. per fidem, vel una cum fide) id dicuntur efficere, ut redundemus spe. — Similis causa intermedia bene sperandi est *Spiritus Sctus.* cordibus nostris a Deo inditus tamquam pignus et arrhabo aeternae salutis. Sic l. l. Rom. 15, 13 illud περισσεύειν ἐν τῇ ἐλπίδι dicitur fieri: ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου. Item Gal. 5, 5: (ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα) fides est argumentum et principium subiectivum, unde manat spes, spiritus autem sphaera, in qua movetur et est. Quare diserte hic Spiritus sctus. vocatur ὁ ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας Eph. 1, 14; II Cor. 1, 22; 5, 5; vel ἡ ἀπαρχή: Rom. 8, 15; Gal. 4, 6. — Re est idem, si duobus locis *caritas* gignere et alere dicitur spem: nam

Rom. 5, 5 caritas divina effusa in cordibus nostris diserte vocatur effectus Sp. scti.; (cfr. Jud. 21) et I Cor. 13, 7 *caritas omnia sperans*, dummodo vera sit et sancta, in sola vi ac vita Sp. scti. consistit.

Interdum etiam tamquam fundamentum, quod humana ex parte subesse debeat spei, memoratur *perseverantia s. constantia* christiana, *ἡ ὑπομονή*. De cuius vocabuli vi atque usu vide append., ubi de synonymis vocab. *ἐλπίς* nobis agendum est. Hoc loco id solum notandum puto, hanc virtutem perseverandi in malis (*ὑπομένειν* enim est *μένειν ἐν παθήμασι;* cfr. Koch. ad I Thess. 1, 3) saepissime apud N. Ti. scriptores vel ipsius spei vice fungi, vel comitari eam atque coniunctam esse cum ea, ita quidem, ut nonnullis locis tamquam necessarium spei supplementum atque quasi forma et species necessario eius propria memorata esse videatur (v. c. Rom. 12, 12; I Cor. 13, 7; I Thess. 1, 3; *ἡ ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος*), aliis vero praecedat spem tamquam conditio et praeparatio eius, sine qua veram vivamque spem habere non possimus. Posterioris generis inprimis est notissimus ille locus Rom. 5, 3. 4: *ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμήν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα.* Sensus satis perspicuus est: quando enim in variis huius vitae calamitatibus rebusque adversis perpetuam animi constantiam cum fiducia in Deum praestiterimus, mox intelligemus atque confidemus, Deum, qui hactenus nos servaverit in summis periculis, ultra erepturum nos e quovis discrimine tandemque coelestis suae gloriae praemio ornaturum. Sicut igitur gratia divina, quotidie redintegrata atque continuis beneficiis quasi cumulans nos, firmissimum est fundamentum spei nostrae a parte Dei, ita a nostra parte ad stabiliendam et vivificandam spem plurimum valet perseverantia in malis et, quae inde nascitur, probatio s. experientia. Eadem fere

sententia adumbratur II Cor. 1, 6, ubi Paulus dicit bene se sperare de Corinthiis, quoniam, si eadem patiantur mala, quae ipse, tum vi perseverantiae (*ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων*) idem etiam solatium atque eandem salutem impetraturi sint. Cfr. ibid. v. 10 : „*ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς καὶ ῥύεται, εἰς ὃν ἠλπίκαμεν ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται*; qua enuntiatione optime describitur idearum nexus atque processus, qui locum habet in eo, cuius spes magis magisque stabilitur et quasi aedificatur malorum tolerantia, unita cum fiducia in Deum [1]). Simillimus locus est Rom. 5, 8 — 10; item II Tim. 4, 17. 18.

Itaque sicut gratia est obiectiva sperandi conditio, ita *ὑπομονὴ τῶν παθημάτων* praecipuum est subiectivum spei fundamentum. Sed interdum etiam immediate, ut videtur, et obiective malorum perpessio vocatur causa bene sperandi, ut Rom. 8, 17 : *εἴπερ συμπάσχομεν ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν*; cfr. II Cor. 1, 7; II Thess. 1, 7; I Petr. 4, 13. Atvero his quoque locis verum ac proprium, quo nititur spes, fundamentum est gratia divina, quae quodvis damnum, hac vita acceptum copiosissime nobis restituet, dummodo passi simus *ὡς Χριστιανοί* (I Petr. 4, 16), atque socios et compotes passionum Christi nos praestiterimus [2]).

---

[1]) Observa ordinem temporum verbi *ῥύεσθαι* in hoc loco; medio enim loco legendum censeo praesens *ῥύεται*, non futurum *ῥύσεται*, ut Lachm.; Tischdf. all. — Cfr. Mey. adnotat. crit. ad h. vsum.

[2]) Cfr. Weifs. l. c. p. 293. 294, qui inprimis discrimen ostendere studet inter Petri et Pauli doctrinam de consortio cum passionibus Christi. Quod discrimen fortasse nimis urget ex more suo, quem nos iam supra, de vi resurrectionis Christi sec. Petri sententiam loquentes, non quavis ratione probare posse diximus. Nam quod ad *κοινωνίαν τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ* attinet, haec saltem notio amborum apostolorum est plane communis : cfr. enim Phil. 3, 10 cum 1 Petr. 4, 13. Hinc autem mihi

— Id enim ipse Christus pollicitus est millies tantum se redditurum esse hominibus in palingenesia, quam quantum sui nominis gratia perpessi sint Matth. 19, 29 (Luc. 22, 30).

Perseverantia christiana et *solatium ex sacris scripturis depromtum* coniunctim fundamentum spei efficiunt Rom. 15, 4 : *ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν* [1]; Hebr. 6, 17. 18, ubi *ἐπαγγελία* Dei et iuramentum, quo confirmaverit hoc promissum, dicuntur firmam fortemqne nobis gignere consolationem. His igitur locis coniunguntur fundamentum spei subiectivum, quod hominnm praecipue opere et labore paratur, et obiectivum, quod a gratia divina in sacris V. Ti. libris, inprimis prophetarum vaticiniis manifestata proficiscitur. *Παράκλησις* et *ὑπομονή* ut fundamenta spei simul commemorata sunt etiam II Cor. 1, 6, ubi non tamen de solatio ex sacra scriptura profluente sermo est. Cfr. etiam II Thess. 2, 16 : *θεὸς . . . . ὁ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐκ χάριτι.* Ceterum hoc solatium, quod spei nostrae confirmandae causa ex sacris V. Ti. libris haurire iubemur, non solum de exemplis piorum patriarcharum et prophetarum fidem nostram erigentibus et ad imitationem nos impellentibus intelligendum est, sed simul spectat ipsum vaticiniorum propheticorum argumentum, quippe quod firmissimum est atque in aeternum manet, ita ut quae nondum expleta sint horum verborum praesenti salute a Christo nobis oblata, ea omnia adhuc

---

quidem sequi videtur, ut etiam illud *συμπάσχειν*, *συνδοξάζεσθαι*, *συναποθανεῖν* optime congruat cum summa doctrinae Petri apostoli propria, licet neque in brevi illa epistola, neque etiam alio N. Ti. loco diserte harum notionum mentionem iniecerit.

[1]) Nisi *ὑπομονὴν* h. l. cum nonnullis esse censes *patientiam*, qua imbecillitates aliorum nobis ferendae sunt.

in futuro regni Christi progressu atque denique in reditu Domini evasura esse firmissime tenendum sit. Eam enim esse apostolum sententiam de vaticiniis V. Ti. adhuc explendis, patet ut ex locis plurimis, quibus generatim divina scripturae auctoritas praedicatur, ita ex talibus pracipue locis, ubi adseritur expectandum adhuc aliquid esse, quod quum praedictum sit a prophetis, impletionem nondum invenerit, v. c. I Cor. 15, 28 : δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ θῇ etc. (Ps. 110, 1); II Thess. 2, 3 : „ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας etc.“ (Dan. 11, 36); inprimis autem Hebr. 4, 1, ubi καταλειπομένης ἐπαγγελίας cum Bleekio interpretandum est : „quum promissio sit reliqua“, i. e. nondum expleta ideoque abrogata. — Cfr. etiam II Petr. 3, 13 : καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ (Jes. 65, 17; 66, 22) προσδοκῶμεν; Act. 2, 17—21, ubi Petrus totum Joelis vaticinium de extremis diebus citat, eam quoque partem eius, quae nondum expleta est per Sp. scti. effusionem; et Act. 3, 21 : ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκατάσεως πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ θεὸς διὰ στόματος τῶν ἁγίων ἀπ' αἰῶνος αὐτοῦ προφητῶν [1]). — Etiam Matth. 24, 6; Luc. 17, 25; 21, 9 illud δεῖ γενέσθαι ex parte saltem respicit vaticinia sacrae scripturae etiamnunc explenda. Nam ex ipsius quoque Domini sententia extremum regni ipsius exitum rerumque omnium consummationem ad normam vaticiniorum V. Ti. esse eventura, concludi potest v. c. ex Matth. 22, 29, ubi Sadducaeos de resurrectione mortuorum dubitantes reprehendens : „Πλανᾶσθε“ inquit „μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ.“ Cfr. Luc. 22, 37; Joh. 10, 35.

---

[1]) Cfr. quae Weifs. disseruit de his locis Petrinis, pag. 49 et 207.

b. De obiectis spei christianae.

Salus per Christum parta et manifestata etsi iam praesens sit bonum, quo hac vita fruimur experti remissionem peccatorum et beatam gratiae divinae societatem, interdum tamen ut in extremo demum iudicio expectanda repraesentatur. Est haec *negativa* pars spei christiana, qua ob tristem et afflictum praesentis temporis statum possessio bonorum evangelicorum quodammodo tamquam dubia repraesentatur et incerta, ita ut extremo demum seculo firmiter et plenè nobis impertienda esse videatur. — Haec est *ἐλπὶς σωτηρίας*, quae I Thess. 5, 8 vocatur *galea*, qua indutum esse oporteat militem vere christianum; cfr. Eph. 6, 17: *τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε.* De significatione huius effigiei bene ad priorem locum adnotavit Kochius: „Die Hoffnung des Heils, deren der Christ theilhaftig ist, gereicht ihm, seinem Bewustsein angeeignet, zum Schutze gegen die auf sein ewiges Leben gerichteten Angriffe des Bösen, ebenso wie der Helm, welcher den Krieger vor den tödtenden Kopfwunden schützt.“ — Patet igitur tertium comparationis hic, ut in antecedenti simili „*θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης*“ esse praesidium et incolumitatem militantis, non ornatum capitis; praesertim quum in loco Jesaiano, qui nostro subesse videtur (Jes. 59, 17), כּוֹבַע יְשׁוּעָה nihil aliud, quam firmum praesidium et victoriae securitatem significet. Sed observandum etiam puto, non sine causa duobus locis apostolum salutem sub effigie *περικεφαλαίας*, i. e. praesidii capitis, nobilissimae corporis partis, repraesentare. Videtur indigitare velle, eam animo suo obversari salutem s. spem salutis, qua ultimos et periculosissimos Satanae impetus effugere debeamus, repentinos illos et capitales incursus diaboli, quibus salutem iam certo partam et perfectioni propinquam electis inter-

dum eripere conetur [1]). Hanc ultimam θλῖψιν et πλάνην ut caveamus, monet ipse Salvator Marc. 13, 22 (πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, εἰ δυνατόν, τοὺς ἐκλεκτούς); neque aliam ob causam rogationem illam: ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ septimo loco in oratione sua dominica posuisse videtur. Quare ipse quoque Jesus nonnullis locis σωτηρίαν, i. e. finalem ab aeterna ἀπωλείᾳ liberationem, tamquam donum s. praemium extremis demum temporibus expectandum proponit, inprimis Matth. 10, 22; 24, 13: ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται; cfr. Matth. 16, 25; 19, 25 [2]). Sicut igitur notio regni coelestis est anceps, quum et de ecclesia Christi iamiam condita et de futura eius consummatione (apocatastasi) usurpetur, ita salutis quoque significatio invenitur duplex in N. To., quarum altera est *positiva*, praesentem electorum statum respiciens, altera *negativa*, futuram liberationem ex periculis huic saluti praesenti imminentibus indicans [3]). Posteriore significatione positum est voc. σωτηρία Rom. 5, 9. 10; 10, 9. 13; 13, 11; I Cor. 1, 18; 3, 13. 15; 5, 5; II Cor. 2, 15; Phil. 1, 19. 28; I Thess. 5, 9; II Thess. 2, 13; II Tim. 2, 10; 4, 18; item in ep. ad Hebr. 1, 14; 2, 10; 7, 25; cfr. Hebr. 5, 9 (σωτη-

---

[1]) Contra θώραξ πίστεως κ. ἀγάπης, seu, quod re est idem θώραξ δικαιοσύνης et θυρεὸς τῆς πίστεως (Eph. 6, 17) magis spectant ad praesentem et perpetuam militiam, qua Christianum quovis vitae suae terrestris momento ad resistendum telis τοῦ πονηροῦ paratum esse oportet, praesertim quod ad minores tentationes quotidianasque, quibus a Satana vexari solemus, incursiones attinet.

[2]) Non autem Matth. 18, 11, quem locum nullo iure citavit Weifs. pag. 55 ad illum vocabuli σώζεσθαι sensum evincendum; hic enim usurpatum est de praesenti salute a Christo nobis oblata.

[3]) Cfr. Weifs. l. c. pag. 55; 64 squu.; 78 squu.; 302 squu.; etiam Koch. ad I Thess. 5, 8 (pag. 403).

ρία αἰώνιος secundum Jes. 45, 17 : תְּשׁוּעַת עוֹלָמִים); 9, 29; Jac. 4, 12 (ubi σῶσαι oppositum est τῷ ἀπολέσαι); I Petr. 1, 5 (σωτηρία ἑτοίμη ἀποκαλυφθῆναι ἐν καίρῳ ἐσχάτῳ); ibid. v. 9 (κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως σωτηρίαν ψυχῶν (v. 10; cap. 2, 2; 3, 21 et 4, 18 (ὁ δίκαιος μόλις σώζεται). — Minus arctus strictusque sensus videtur subesse vocabulo σωτηρία in doxologiis apocalypsis : cap. 7, 10; 12, 10; 19, 1; ibi enim σωτηρία notat ἔπαινον σωτηρίας, laudem salutis a Deo nobis donatae; hanc vero salutem minime ad solam ereptionem ex extremis afflictionibus referendam esse puto [1]). Sic etiam in evangelio Johannis σωτηρία semper latiorem illum sensum obtinet, quo ad opus salutare Christi iam perfectum vel etiamnunc efficax refertur (Joh. 3, 17; 5, 34; 10, 9; 12, 47), id quod necessario sequitur ex universa doctrina pneumatici huius evangelii, secundum quam temporale hoc seculum uno quodam et continuo cursu in aeternitatem transit.

Hac igitur ratione I Thess. 5, 8 intelligendam esse locutionem ἡ ἐλπὶς τῆς σωτηρίας, ostendit etiam vsus. statim sequens, ubi causa adfertur, ob quam spes salutis tamquam galea induenda sit : „ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ θεὸς εἰς ὀργὴν, ἀλλὰ εἰς περιποίησιν σωτηρίας διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ.“ — Sicut alibi contrarium σωτηρίας est ἀπώλεια [2]), ita h. l. similiter ac Rom. 5, 9. 10 salus opposita est irae divinae, ὀργῇ μελλούσῃ scil. (Matth. 3, 7), vel ἐρχομένῃ (I Thess. 1, 10), non ei, quae nunc iam de coelo manifestatur (Rom. 1, 18). Salus vero illa, quam sperare debemus, aliquanto strictius nostro vsu. (nono scil.) voca-

---

[1]) Aliter Ebrard. comment. in Apocal. pag. 267.

[2]) v. c. Luc. 9, 56; 19, 10; I Cor. 1, 18; II Cor. 2, 15; Phil. 1, 28; Jac. 4, 12.

tur *περιποίησις σωτηρίας*, i. e. comparatio salutis in extremo iudicio, ubi effugiemus sententiam damnatoriam summi judicis. Cfr. II Thess. 2, 14 : *εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν*, et Hebr. 13, 39, ubi locutio *περιποίησις ψυχῆς* idem valet quod *σωτηρία ψυχῶν* I Petr. 1, 9 [1]).

Σωτηρία praeter I Thess. 5, 8 uno etiam N. Ti. loco disertis verbis obiectum spei vocatur : I Tim. 4, 10 : *ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ θεῷ ζῶντι, ὅς ἐστιν σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν*, ubi perspicuum est vocabulum illud *σωτήρ* aliquanto generaliorem obtinere notionem, praesertim quum constructio verbi *ἐλπίζειν* cum praep. *ἐπί* regente dativum indicet, subiectum sperans iam aliquatenus expertum esse salutarem Dei vivi potentiam. Cfr. supra cap. II.

Graviore etiam modo negativa illa vis salutis a nobis expectatae indicatur Jud. v. 21 : *ἑαυτοὺς ἐν ἀγάπῃ θεοῦ τηρήσατε προσδεχόμενοι τὸ ἔλεος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χριστοῦ*. Hoc quoque loco alludi ad finalem illam ac definitivam sententiam a Christo mundi iudice promulgandam, inprimis patet ex vocabulis, quae in fine versus addita sunt : *εἰς ζωὴν αἰώνιον*. Donatio enim vitae aeternae, i. e. summae neque unquam desinentis felicitatis, nihil est aliud, nisi ultimus simulque splendidissimus divinae misericordiae actus erga nos, quum nos nullam omnino causam habeamus, qua freti vitam illam tamquam praemium iustum ac meritum expectemus.

---

[1]) Ceterum his solum locis voc. *περιποίησις* activa significat. esse accipiendum; contra Eph. 1, 14 et I Petr. 2, 9 passivum obtinere sensum, congruentem cum hebraico סְגֻלַּת יְיָ, i. e. peculium, quod sibi comparavit Deus, recte exposuit Koch. ad I Thess. pag. 405.

Similis huius loci est Gal. 5, 5 : ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα; quam locutionem ἐλπίδα δικαιοσύνης obiective esse accipiendam, ita ut vertendum sit: *iustitiam speratam*, iam supra cap. III exposuimus. Qua interpretatione accepta iam reiecta est erronea aliorum quorundam sententia, qui fundamentum spei h. l. genitivo δικαιοσύνης indicari opinati sunt [1]). Et spes quidem illa iustitiae impetrandae ad ipsos referenda est Christianos, non ad patres veteris foederis, ut nonnullis visum est (v. apud Wolf. ad h. l.). Nam ipsa quoque iustitia coram Deo indigebimus illo die extremo, licet in conversione Christi iustitia nobis imputata sit : est enim haec recens nostra iustitia inchoata tantum et admodum manca atqua imperfecta; quare in parusia demum omnibus numeris perficienda et, quasi denuo nobis donetur, redintegranda est. Hunc esse sensum huius versus atque ita cohaerere eum cum antecedentibus recte ostenderunt Ust., De W., Mey. ad h. l. [2]). Inprimis De W. recte docet non pugnare hanc sententiam de iustitia etiamnunc speranda cum Rom. 5, 1 squu. aliisque locis Paulinis, ubi δικαιοσύνη ἐκ πίστεως causa adpelletur reconciliationis nostrae cum Deo et spei gloriae aeternae. Idem enim iam supra animadvertimus, unam atque eandem rem simul principium et finem spei esse posse, ut ipsum Deum, vel Christum, qui omnino rerum omnium summus atque absolutus est auctor et confector, τὸ ἄλφα καὶ τὸ ὦ Apoc. 1, 8; vel etiam gratiam divinam I Petr. 1, 13.

---

[1]) Sic Beng. (spes, quam iustitia praebet), Storr, Flatt, Borg. (id quod sperare potest ὁ δίκαιος), Beza (corona gloriae s. hereditas, quae iustificatos manet); similiter Theodoret., Grot. Calov. all.

[2]) Cfr. Neand., Gesch. der Pflanzg. etc. edit. IV, p. 752, not. 1.

Iam haec summa et ultima gratiae collatio in parusia Jesu Christi eventura rursus plura momenta complectitur, quae passim singula obiecta sperandi feruntur. Quorum principale ac sollemne est *δόξα*, gloria s. magnificentia divina, per Christum, *τὸν κύριον τῆς δόξης* (I Cor. 2, 8; II Cor. 4, 4. 6) nobiscum communicanda in epiphania sua. Ipse enim Dominus pollicitus erat apostolis se rediturum esse in gloria patris (Matth. 16, 27; Marc. 8, 38; Luc. 9, 26), vel cum vi et gloria magna (Matth. 24, 30; Marc. 13, 26; Luc. 21, 27), vel in gloria sua una cum omnibus angelis (Matth. 25, 31) etc. Gloria patris et gloria filii his in locis est eadem: non enim post mortem demum Christus particeps factus est huius gloriae, quam potius possedit apud patrem suum, antequam mundus esset Joh. 17, 5; cfr. 1, 22; Jud. 25. — Consistit autem haec *δόξα* divina in luce illa aeterna et increata, qua habitare dicitur Deus I Tim. 6, 16, quae quasi prototypus cuiusvis luminis creati est (cfr. Jacob. 1, 17 *ὁ πατὴρ τῶν φώτων* cum Eph. 1, 17: *ὁ πατὴρ τῆς δόξης*). Quare ipse Deus *φῶς* vocatur I Joh. 1, 5, sicut Christus (Joh. 1, 9; 8, 12; 9, 5; 11, 10; 12, 35. 36), qui est *εἰκὼν τοῦ θεοῦ* (Col. 1, 15) vel *ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ* (Hebr. 1, 3).

Huius igitur naturae suae lucidae atque claritate et fulgore plenae Christus fideles reddet participes, quum revertetur e coelo ad regnum suum aeternum perficiendum. Videbunt *δόξαν* eius (Joh. 17, 24) et ipsi quoque effulgebunt sicut sol in regno patris (Matth. 13, 43, quo loco Dominus ad vaticinium Danielis cap. 12, 3 respicere videtur). Natura enim eorum tum par erit vel similis angelorum naturae (Matth. 22, 30 cum parall.), et sicut ipse Dominus in solio suo magnificentiae sedebit, ita apostoli duodecim thronis insidentes iudicium facient de tribubus Israelitarum (Matth. 19, 28; Luc. 22, 30), omnino autem

cuncti quarumvis nationum fideles adcubabunt cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo (Matth. 8, 11; Luc. 13, 28. 29).

His ipsius redemptoris promissionibus nititur spes apostolica futurae glorificationis et societatis τῆς δόξης illius, in quam ipsi perventuri sunt. Petrus, Johannes et Paulus uno consensu δόξαν divinam primarium spei obiectum habent; neque alia potest fuisse ceterorum N. Ti. auctorum sententia, inprimis eius, qui scripsit epistolam ad Hebraeos (vide cap. 2, 10 : πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα etc.), Judae (vs. 24 : τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς ἀπταίστους καὶ στῆσαι κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ ἀμώμους ἐν ἀγαλλιάσει) et Jocobi, etsi hic, fortasse ob brevitatem tantum epistolae suae, nullam futurae gloriae Christi nobiscum communicandae mentionem iniiciat.

Petrus, similiter atque Judas describit gaudium summamque voluptatem, quam fideles passionum Christi socii capient ex futura magnificentiae Christi patefactione (I Petr. 4, 13) speratque se ipsum huius gloriae fore participem (ὁ καὶ τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός, cap. 5, 1). Cfr. cap. 5, 4 : καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον; ibid. vs. 10, ubi δόξα αἰώνιος, gloria aeterna Dei summus vocatur finis gratiae et perfectionis, ad quem Deus nos destinaverit. De simili loco cap. 1, 7, ubi δόξα coniuncta est cum ἔπαινος et τιμή paulo infra nobis exponendum erit. — Ceterum de δόξης notione apud Petrum in universum conferendus est Weifs. l. c. pag. 75. 76.

Johannes in priore sua epistola plurium tantum verborum circuitu δόξαν esse obiectum spei ostendit, non diserte nominat [1]). Dicit enim cap. 3, v. 2 : οἴδαμεν, ὅτι

---

[1]) Ab apocalypsi Johannis non alienam esse notionem vocabuli δόξα ceteris N. Ti. auctoribus familiarem, docet inprimis cap. 21, 10.

ἐὰν φανερωθῇ (scil. τί ἐσόμεθα, vide vs. 2, et Lücke ad h. l.) ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα, ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστιν. Deinde pergit vsu. 3 : καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην κτλ. Videmus, Johannes h. l. describere futurae glorificationis statum haud diversum ab illo, quem ipse Christus praedixit Joh. 17, 24, neque etiam ab eo, quem Paulus indicat Col. 3, 4 : ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ, ἡ ζωὴ ἡμῶν, τότε καὶ ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ. Illud enim *parem* vel *similem fieri Christo* re est plane idem ac Paulinum συνδοξάζεσθαι Rom. 8, 17; vel περιποίησις δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ. II Thess. 2, 14; et rursus *conspectus Dei* summus finis expectationis Paulinae est I Cor. 13, 12; II Cor. 5, 7. Cfr. omnino II Cor. 3, 18 : ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, ubi sensus est, transformationem ad imaginem Christi effici aspectu gloriae eius, ita ut a gloria Christi proficiscatur nostra. Ita enim explicanda statuo vocc. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν cum Meyero, non autem : „von einer Klarheit zur andern" (immer höheren), ut Luth. et alii interpretati sunt.

Simpliciter δόξα vocatur obiectum spei apud Paulum: Rom. 5, 2 : καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης θεοῦ; Col. 1, 27 : ὅς ἐστιν Χριστὸς ἐν ὑμῖν, ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, ubi ἐλπὶς denotat fundamentum vel auctorem spei. Paulo aliter Tit. 2, 13 obiectum sperandi est ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰ. Χρ. Similiter Rom. 8, 18 haec gloria dicitur δόξα μέλλουσα ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς; ubi tempus futurae revelationis, in quam respicitur, est parusia Christi; cfr. Col. 3, 3 : ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται σὺν τῷ Χριστῷ ἐν τῷ θεῷ etc. — Hanc vero δόξαν summum et ultimum esse finem totius salutis divinitus revelatae in hoc et in altero seculo, patet ex Rom. 9,

23, ubi electi vocantur σκεύη ἐλέους ἃ προητοίμασεν (ὁ θεὸς) εἰς δόξαν (scil. αὐτῶν, ad ipsos glorificandos, v. Philipp. ad h. l.); cfr. Rom. 15, 7; I Cor. 2, 7. Quare haec δόξα saepius attributo aeternitatis insignitur, v. c. II Cor. 4, 17 (αἰώνιον βάρος δόξης); II Tim. 2, 10 (δόξα αἰώνιος); cfr. Rom. 8, 21, ubi directe sibi opposita sunt δουλεία τῆς φθορᾶς et ἐλευθερία τῆς δόξης; vel δόξα simul coniuncta apparet cum aliis vocabulis splendorem et magnificentiam exprimentibus, ut Rom. 2, 7 : δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν; cfr. v. 10 : δόξα κ. τιμὴ κ. εἰρήνη; ita in doxologiis, v. c. I Tim. 1, 17 : τιμὴ κ. δόξα; Apoc. 4, 9 : δόξα κ. τιμὴ κ. εὐχαριστία: ibid. v. 11 : δόξα κ. τιμὴ κ. δύναμις; cap. 5, 12 : λαβεῖν τὴν δύναμιν κ. πλοῦτον κ. σοφίαν κ. ἰσχὺν κ. τιμὴν κ. δόξαν κ. εὐλογίαν, et vs. 13 : εὐλογία, τιμή, δόξα, κράτος.

Τιμὴν his in doxologiis singularem obtinere notionem summi honoris, quo perpetuo Deus ornetur atque extollatur, vix est cur moneamus. Contra Rom. 2, 7 et inprimis vsu. 10, ubi una cum δόξα et εἰρήνη ad obiecta spei pertinet, τιμὴ significat *honorem*, quem divinus iudex sententia sua tribuet cuivis pie iusteque viventi. Recurrit igitur h. l. aliquo modo prior illa doctrina de iudicio iustitiam priorum ac fidelium finaliter evincente et ante oculos omnium revelante. Τιμὴ cum δόξα coniuncta occurrit etiam I Petr. 1, 7.

Similis huius honoris aeterni est *integritas* summaque morum probitas, qua praeditos Christus fideles coram Deo et in conspectu omnium sanctorum exponet. I Thess. 3, 13: εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ κ. πατρὸς ἡμῶν ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ. κτλ.; ibid. 5, 23 : καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χρ. τηρηθείη, ubi simul acce-

dit notio incorruptae integritatis et castitatis corporis, de qua parte τῆς δόξης infra nobis agendum erit; I Cor. 1, 8 : ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου, i. e. ὥστε ἀνεγκλήτους εἶναι ὑμᾶς; Phil. 1, 10 : ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ. — Eadem integritas omnis vitii et labis expers in extremo iudicio manifestanda interdum negative describitur per οὐκ αἰσχύνεσθαι. Ita Phil. 1, 20 : κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, quo verbo Paulus hic inprimis respicit munus suum apostolicum et opera in evangelio nunciando peracto, quae sperat sibi decori et honori, non ignominiae futura. — Paulo latior sensus verbo καταισχύνειν subest Rom. 5, 5 : ἡ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, ubi simul praesens ac futura evitatio contumeliae indicatur; cfr. Rom. 9, 33; 10, 11; I Petr. 2, 6 : ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται, quo in loco, desumpto ex Jes. 28, 16, οὐ καταισχυνθήσεται secundum LXX respondet hebraico לֹא יָחִישׁ. Pro hoc enim verbo, quod proprie est : „non fugiet", LXX videntur legisse לֹא יֵבוֹשׁ : cfr. Ps. 25, 2; 119, 116.

Qui vero non fallitur spe sua laudis atque gloriae sibi obventurae, habet quo glorietur coram Deo ceterisque hominibus. Itaque sibi opposita sunt οὐκ αἰσχυνθήσομαι et καυχήσομαι II Cor. 10, 8. Cfr. ib. 1, 14 : καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους ὅτι καύχημα ὑμῶν ἐσμὲν, καθάπερ καὶ ὑμεῖς ἡμῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, qua enunciatione apostolus describit mutuam laudem, quam ipse et Corinthiorum ecclesia sibi invicem tributuri sint, quando omnia patefacta atque revelata erunt in die Domini. Similiter I Thess. 2, 19 apostolus Thessalonicenses, singulari fidei praestantia ac vitae sanctitate insignes, vocat spem suam et delicias et *coronam gloriandi* (στέφανον καυχήσεως) i. e. causam, qua in futura Christi epiphania

glorietur quasi corona triumphali ornatus. Cfr. Phil. 4, 1, et quod ad vocem *στέφανος καυχήσεως* hebr. עֲטֶרֶת תִּפְאֶרֶת Prov. 16, 31; Ez. 16, 12; 23, 42 [1]). — Gloriatio vero illa de operibus bene peractis vana foret iactatio et ostentatio, nisi ab ipso Deo accederet *laus* tamquam praemium obedientiae fideliter ad finem usque servatae. Quare in obiectis sperandi una cum doxa et honore interdum etiam refertur *ἔπαινος*, v. c. I Cor. 4, 4: *καὶ τότε ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ θεοῦ*, ubi *ἔπαινος* non est idem quod *μισθός* (ita Flatt all.), neque etiam vocabulum medium (ita Wolf., Rosenm., Pott), sed proprie significat laudem, eam scil., quae cuique debetur (v. Mey. ad h. l.). Rom. 2, 29 *ὁ ἔπαινος ἐκ τοῦ θεοῦ* denotat laudem, quam Deus iam in hac vita tribuit iustis ac sanctis et quae in die iudicii manifestabitur. — De laude praesente tantum et hanc solum vitam spectante intelligendum est *ἔπαινος* Rom. 13, 3; I Petr. 2, 14. Contra I Petr. 1, 7 coniunctum cum *δόξα* et *τιμή* extremam significat glorificationem et magnificentiae divinae communicationem. Cfr. eiusdem epistolae cap. 3, 9: *εὐλογοῦντες, ὅτι εἰς τοῦτο ἐκλήθητε ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε*, quam divini favoris ac benedictionis promissionem ad verba Christi Matth. 7, 2; Luc. 6, 28 respicere videri recte animadvertit Weiſsius (p. 70); item: *κομιεῖσθε τὸν στέφανον κτλ.* cap. 5, 4, ubi gloria illa sub simili praemii victoribus debiti repraesentatur. Cfr. praeter locos iam paulo ante laudatos I Cor. 9, 25; II Tim. 2, 5; 4, 8; Jac. 1, 12 (*ὁ στέφανος τῆς ζωῆς*); Apoc. 2, 10; 3, 11; 4, 10; 6, 2; Act. 20, 24.

[1]) Similiter ac nostro loco *ἐλπίς* et *καύχησις* coniuncta sunt, Jes. 20, 5, ubi sibi respondent vocabula מַבָּט fiducia et תִּפְאֶרֶת decus: וְחַתּוּ וָבֹשׁוּ מִכּוּשׁ מַבָּטָם וּמִן מִצְרַיִם תִּפְאַרְתָּם:, quod LXX vertunt: *Καὶ αἰσχυνθήσονται ἡττηθέντες οἱ Αἰγύπτιοι ἐπὶ τοῖς Αἰθίοψιν, ἐφ' οἷς ἦσαν πεποιθότες οἱ Αἰγύπτιοι, ἦσαν γὰρ αὐτοῖς δόξα.*

Haec vero laus, quam Deus tribuet fidelibus suis, ipsi simul laudi ac decori erit, similiter ac δόξα, quam communicavit cum filio suo et per hunc nobiscum, ad ipsum glorificandum valet (vide Joh. 17, 1. 4). Itaque electi et sunt et erunt εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, id quod bis praedicat Paulus magna vi in ep. ad Ephes. cap. 1, vs. 12 et 14, ubi describit extremum finem, quo tendat salutis oeconomia ante omnia secula in consilio Dei constituta. — Cfr. quos supra iam laudavimus locos Rom. 9, 23; 15, 7; I Cor. 2, 7.

Propria quaedam ac peculiaris Pauli notio est expectatio futurae transmutationis corporum nostrorum ad similitudinem corporis glorificati Christi. Praeter l. l. II Cor. 3, 18 inprimis huc pertinet Phil. 3, 21: ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν συμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. Cfr. Rom. 8, 29: συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Haec *metamorphosis*, quae re est idem atque illud ὅμοιον εἶναι τῷ Χριστῷ I Joh. 3, 2, fiet in resuscitatione ex morte: ἐγείρεται ἐν δόξῃ I Cor. 15, 43; et sicut hic in terra retulimus effigiem Adami terrestris, ita tunc referemus imaginem Adami coelestis I Cor. 15, 49; Rom. 8, 29. — Haec autem notio spei futurae glorificationis atque metamorphosis corporis cognata est cum notione *adoptionis*, qua Deus Christi causa filios nos accipit et heredes gloriae suae coelestis nos constituit. In quo adoptionis actu Christus est filius primogenitus, qui nos antecedit in obtinenda divina hereditate, cuius ipse nos compotes redditurus est. Rom. 8, 15—17. 29; Gal. 4, 6. 7; Eph. 1, 5. Haec υἱοθεσία etsi est dignitas ac possessio iam praesens, obsignata et confirmata nobis per Sp. sctum. (Rom. 8, 15. 16; II Cor. 1, 22; Gal. 4, 6.), nondum omnibus tamen numeris est absoluta et perfecta, praecipue quod ad externae nostrae et corporalis vitae

statum attinet. Ita nunc quidem iam liberi sumus Spiritu Domini, qui est Spiritus *υἱοθεσίας* (II Cor. 3, 17; cfr. Joh. 8, 36); tamen plena et vera libertas liberorum Dei futuro demum seculo manifestabitur una cum gloriae patefactione in parusia Christi; unde vocatur *ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ* Rom. 8, 21. Quae liberatio futura nuncupatur *ἀπολύτρωσις* Eph. 1, 14; 4, 30; I Cor. 1, 30, quod vocabulum vulgo de redemptione per Christum iam peracta usurpatur Luc. 21, 28; Rom. 3, 24 etc. — Haec autem *ἀπολύτρωσις* inprimis spectat corpus nostrum adhuc peccato et Satanae tentationibus mortique obnoxium (Rom. 7, 14. 23—25), olim autem huic servitutis ac vanitatis statui eripiendum. Vocatur autem haec *ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν* etiam *υἱοθεσία* Rom. 8, 23 [1]), quoniam scil. hac corporis demum liberatione adoptio nostra vera et perfecta atque in aeternum mansura est. Si igitur comparamus hunc vsum. 23 cap. nostri cum vsu, 15, dupliem animadvertimus usum vocis *υἱοθεσία*, simillimum duplicis illius usus vocabuli *δικαιοσύνη*, quem Gal. 5, 4 et 5 obtinere supra monuimus, item significationis ambiguae vocabuli *σωτηρία* etc. Modo enim hae notiones sunt obiecta fidei, modo spei.

Iam cum hac adoptionis notione cohaeret alia quaedam spes et promissio, quae manet iustos sanctosque Domini sectatores. Diximus supra, ipsum Christum (Matth. 19, 28) promisisse apostolis suis *iudicium* se eis daturum esse de XII tribubus Israel. Hinc videtur fluxisse sententia illa Paulina I Cor. 6, 2 : *οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσιν*; cfr.

---

[1]) Dubitari potest, utrum *ἀπολύτρ. τοῦ σώματος* vertendum sit : „liberatio *ab* hoc corpore nostro“ (secundum Rom. 7, 24), an : „liberatio corporis nostri.“ Sed quod ad rem ipsam attinet, nihil inde discriminis efficitur. V. Phil. ad h. l.

vs. squ.: οὐκ οἴδατε, ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν, μήτιγε βιωτικά; idem expectatio dominatus una cum Christo exercendi, συμβασιλεύειν I Cor. 4, 8; II Tim. 2, 12. — Ceterum eandem expectationem quodammodo etiam Johannis fuisse propriam prodire videtur ex I Joh. 4, 17: ἵνα παῤῥησίαν ἔχωμεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, ὅτι καθὼς ἐκεῖνός (sc. Χριστός) ἐστιν καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, ubi ethica saltem pars et conditio huius spei adumbratur. Contra ipsius Christi promissionem respicit Apoc. 20, 4: κρῖμα ἐδόθη αὐτοῖς.

Haec igitur omnia simul quasi complectitur δόξα Christi in parusia nobis impertienda. Quare δόξα summum atque primarium est obiectum spei, quod iure ad hanc notionem supplendum esse suspicabimur, ubicunque voc. ἐλπίς vel absolute vel absque alio quodam obiecto usurpatur, exceptis eis nimirum locis, ubi res mere terrestres vel V. Ti. oeconomiam respicit. Ita vox ἐλπίς accipienda est Rom. 12, 12; 15, 4. 13; I Cor. 13, 13; Eph. 1, 18; 4, 4; Col. 1, 5. 23; Hebr. 3, 6; 6, 11. 18; 7, 19; 10, 23; I Petr. 3, 15. Interdum etiam coniuncta reperiuntur duo obiecta primaria spei christianae, σωτηρία scil., quae est negativum, et δόξα, positivum. Ita II Tim. 2, 10 notio σωτηρίας quasi aucta et amplificata est adiecto vocabulo δόξα (σωτηρία ἡ ἐν Χρ. Ἰησοῦ μετὰ δόξης αἰωνίου); et Phil. 3, 20. 21 Christus vocatur σωτήρ, quem expectemus, ut corpori nostro impertiat gloriam corporis sui; cfr. Hebr. 2, 10, ubi Christus, ἀρχηγὸς σωτηρίας, multos filios dicitur ducere εἰς δόξαν.

Similiter Eph. 1, 18 δόξα coniuncta est cum voce κληρονομία (τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις), quae ipsa interdum significat summam rerum Christianis sperandarum. Licet enim ipsa locutio ἡ ἐλπὶς τῆς κληρονομίας non reperiatur, nonnullis

tamen locis vocabulo κληρονομία perspicue indicatur, quo tendat spes quidque sit proprium eius argumentum. Ita nostro loco Eph. 1, 18 vocabula : τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ illustrantur sequentibus : τίς ὁ πλοῦτος κτλ. [1]). Similis locus est I Petr. 1, 4, ubi εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς est quasi epexegesis verborum vsu. 3 antecedentium : εἰς ἐλπίδα ζῶσαν; cfr. Col. 1, 5 : διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ubi ἐλπίς, i. e. obiectum spei repraesentatur sub effigie *thesauri* reconditi pro nobis in coelis, donec ipsi ad fruendum eo pervenerimus [2]). Nihil enim aliud est κληρονομία coelestis, quam thesauri illi, secundum Christi monitum colligendi nobis in coelo, quos nec tinea neque aerugo comedit Matth. 6, 20; cfr. etiam praedicata illa τῆς κληρονομίας I Petr. 1, 4 memorata : ἄφθαρτος, ἀμίαντος, ἀμάραντος [3]). Est igitur haec κληρονομία idem, quod Christus quaerere iubet Matth. 6, 33 : βασιλεία τοῦ θεοῦ sive βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Dicit enim Matth. 25, 34 : κληρονομήσατε τὴν — βασιλείαν; cfr. c. 19, 29 : κληρονομεῖν ζωὴν αἰώνιον; Marc. 10, 17; Luc. 10, 25; 18, 18. Hoc regnum divinum etsi iam incepit hoc seculo (Rom. 14, 17; I Cor. 4, 20; Col. 4, 11), plerumque tamen, ut ab ipso Domino, ita ab apostolis eius futuro mundo adsignatur; quare civitas et consortium huius regni,

---

[1]) Cfr. Eph. 4, 4, ubi κληθῆναι ἐν ἐλπίδι τῆς κλήσεως rursus alludit ad κληρονομίας notionem; vide enim Hebr. 9, 15 : οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας.

[2]) Idem simile Matth. 6, 19. 20; Rom. 2, 5; II Cor. 4, 7; Col. 2, 3; I Tim. 6, 19; Jac. 5, 3.

[3]) De fonte huius notionis in V. To. sito (נַחֲלָה) cfr. quae Weifs exposuit pag. 52. 53; et quod inpr. ad Paulinam hac de re doctrinam attinet : pag. 61. 62; quod ad Petrinam : p. 73—75.

etsi promissione divina certo nobis data et Sp. scto. firmissime nobis obsignata sit, pricnipaliter tamen est obiectum sperandi. Vide Jac. 2, 5 : *κληρονομία τῆς βασιλείας;* I Cor. 6, 9. 10; 15, 50; Gal. 5, 21; Eph. 5, 5; item Rom. 4, 13; Eph. 1, 14 (Sp. sctus. est *ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν*); Col. 3, 24 : *εἰδότες, ὅτι ἀπὸ κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας;* Hebr. 1, 14; 9, 15; I Petr. 1, 4; 3, 7. 9.

Iam proprie quidem ac principaliter *κληρονομία* significat *κλῆρον*, i. e. sortem s. portionem in salute regni Messiani certo nobis promissam a Deo. Ad hanc vero notionem vocabuli apud Paulum accedit alia quaedam aliquanto strictior ac definitior, qua proprie significat *hereditatem* [1]). Hanc notionem Paulus ita coniungit cum peculiari sua de adoptione doctrina, ut Christianos adoptione dicat heredes Dei et coheredes Christi esse factos : Rom. 8, 17; Gal. 3, 29; 4, 7. 28—30. Quem idearum nexum alienum esse a Petro recte ostendit Weifs. pag. 73 squu. Similiter enim atque in epistola ad Hebraeos fideles dicuntur habere civitatem in coelis, quae vera sit patria eorum (Hebr. 11, 10. 16; 12, 22; 13, 14), etiam Petrus electos vocat *παρεπιδήμους* (I Petr. 1, 1; 2, 11, cfr. 1, 17), h. e. viatores s. peregrinos (*παροίκους*), quarum vera patria sit in coelo. Nulla vero alia est haec patria coelestis, nisi *κληρονομία* illa, de qua loquitur cap. 1, 4 [2]). — Hac igitur ratione cohaerent notiones de *κληρονομίᾳ* et de peregrinatione electorum in terra secundum Petri doctrinam. Contra nusquam hic apostolus mentionem iniicit

[1]) Ita in classicorum quoque linguae Graecae auctorum sermone. V. Bleek, der Brief a. d. Hebr.. T. II, pag. 32.

[2]) Cfr. Weifs. pag. 29 et 73; Steinmeyer, disquisitionis in divi apost. Petri ep. priorem prooemium pag. 24.

hereditatis per Christum nobis partae, qua *συγκληρονόμοι Χριστοῦ* (Rom. 8, 17) fiamus; et licet cap. 1, 14. 17; 2, 2 fideles vocentur *τέκνα* (vel *βρέφη*) *θεοῦ*, alia tamen huic voci subest notio, quam Paulinae *υἱοθεσίᾳ* [1]). — Deinde ea quoque ratione Petrina *κληρονομία* diversa est a Paulina, quod secundum hanc praecipuum obiectum huius hereditatis est *βασιλεία τοῦ θεοῦ*, cuius nulla omnino mentio fit in Petri epistola.

Contra aliud obiectum *τῆς κληρονομίας* utriusque apostoli commune est, *vita* scil. *aeterna*, licet Weifs. (pag. 71. 72) hanc notionem Petro prorsus abiudicare conatus sit. Petrus enim eo minus ignorare potuit notionem illam *ζωῆς αἰωνίου*, cum ipse fuisset, cui quaerenti de praemio sibi ceterisque apostolis in regno coelesti futuro, respondit Dominus, quemque, qui sui nominis gratia reliquisset fratres etc., vitam aeternam tamquam summum et splendidissimum praemium accepturum esse. Quin etiam ipse Weifs. (p. 75) monet locutionem: *συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς* I Petr. 3, 7 in memoriam revocare verba illa Christi Matth. 19, 29; Marc. 10, 17; Luc. 10, 25; 18, 18. *ζωὴ* vero qui est alia, quam *ζωὴ αἰώνιος*? — Paulus hanc vitam aeternam summam hereditatis simulque spei obiectum vocat Tit. 3, 7: *ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι κληρονόμοι γενηθῶμεν κατ' ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου.* Cfr. Rom. 2, 7; 6, 22; I Cor. 9, 25; Gal. 6, 8; I Tim. 4, 8; II Tim. 2, 5; 4, 8. Quae vita vera et aeterna etsi in terrestri statu iam inchoetur (Rom. 6, 3 etc.; 8, 6—10; Gal. 3, 3; II Tim. 1, 10), tamen in altero demum seculo plena veritate apparebit I Cor. 15, 42—54. Id fiet inde a resurrectione mortuorum; quare ea quoque obiectum spei est

1) Vide Weifs. pag. 172. 173.

apud Paulum: I Cor. 15, 19—22; I Thess. 4, 13; licet non sit Christianorum propria ac singularis haec expectatio, sed communis cum Judaeis: vide sectionem priorem huius capitis. — Hanc expectationem resuscitationis secundum ipsius Christi effata Joh. 5, 28. 29; 6, 40. 54, una cum spe vitae aeternae tenet etiam Johannes apostolus (I Joh. 2, 25), etsi secundum huius quoque doctrinam vita aeterna simul ad hoc seculum pertineat et nunc iam in mentibus credentium nascatur (Joh. 12, 50; 17, 3; I Joh. 1, 2; 5, 20). Vitam aeternam tamquam praemium expectationi nostrae a gratia divina propositum, norunt etiam Apocalypsis (cfr. inprimis 2, 7. 10; 3, 5; 13, 8; 17, 8; 21, 6; 22, 1. 2. 14. 17), Jacobus (1, 12) et Judas (v. 21); cfr. etiam II Petr. 1, 11: *ἡ εἴσοδος εἰς τὴν αἰώνιον βασιλείαν τοῦ κυρίου.*

Quod ad epistolam ad Hebraeos attinet, Weifsius (pag. 68) monet, desiderari quidem in ea mentionem vitae aeternae tamquam obiecti spei, convenire vero aliquatenus cum hac notione aeternum illum, qui manere dicitur populum Dei, *σαββατισμόν* cap. 4, 9; cfr. *κατάπαυσις* 4, 1. Cui tamen magis conferendam puto *pacem*, quam Paulus Rom. 2, 10 una cum honore et gloria (*τιμὴ καὶ δόξα*) obventuram dicit cuivis iusto, secus ac malis, quos maneat *θλῖψις καὶ στενοχωρία* (v. 9). Significat autem haec *εἰρήνη* ineffabilem illam beatitudinem internam et externam, in qua consistet vita aeterna. Cfr. Eph. 2, 17 *εὐαγγελίζεσθαι εἰρήνην.*

Omnia haec spei obiecta obtingent Christianis per Christum, qui ipse igitur nonnullis locis obiectum spei vocatur: I Thess. 1, 3: *ἡ ἐλπὶς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*; cfr. vs. 10: *ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ — Ἰησοῦν κτλ.*; et Phil. 3, 20. — Fiet autem haec summa expletio spei christianae in reditu Domini ab ipso praedicto Matth.

10, 23; 16, 27. 28; 24, 30; 25, 31; 26, 64; Joh. 14, 3; 21, 22. 23; qui reditus diversis nominibus fertur apud apostolos, quorum primaria sunt haec :

παρουσία : I Thess. 2, 19; II Thess. 2, 1; I Joh. 2, 28; Jac. 5, 8;

ἐπιφανεία : II Thess. 2, 8; I Tim. 6, 14; II Tim. 4, 8; Tit. 2, 13;

ἀποκάλυψις τοῦ Χριστοῦ [1]) : I Cor. 1, 7; Rom. 8, 18; II Thess. 1, 7; I Petr. 4, 13;

φανέρωσις τοῦ Χριστοῦ : Col. 3, 4;

ἡμέρα τοῦ κυρίου : I Cor. 1, 8; II Cor. 1, 14; Phil. 1, 6;

ἡμέρα τῆς παρουσίας αὐτοῦ : II Petr. 3, 12;

ἡμέρα τῆς κρίσεως : I Joh. 4, 17 [2]);

ἡμέρα ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ : Rom. 2, 5. 6;

ἡ ἡμέρα ἐκείνη (הַיּוֹם הַהוּא) : II Thess. 1, 10; II Tim. 1, 12. 18; 4, 8;

ἡ ἡμέρα : I Cor. 3, 13; Hebr. 10, 25.

Omnia vero illa obiecta spei non-uno ictu completum atque absolutum iri, inprimis Paulus indicavit I Thess. 4, 15—17; I Cor. 15, 23. 24, ubi plura discernuntur τάγματα rerum illarum extremarum. Ceterum secundum omnes N. Ti. auctores haec parusia Domini omniumque expectationum expletio prope imminet, id quod inprimis patet ex I Cor. 1, 7; 15, 51 etc.; I Thess. 4, 15; Phil. 1, 10. 20—26; 2, 16. 17; 4, 5; I Tim. 6, 14; II Tim. 1, 12; 2,

---

[1]) De variis notionibus vocis ἀποκάλυψις in N. T. cfr. Nitzsch, System der christl. Lehre pag 64. 65; Weifs. l. c. pag. 87 not. 1.

[2]) Num iudicium extremum et parusia in idem tempus incidant secundum N. Ti. doctrinam, certo constitui nequit. Secundum I Cor. 15, 23 squu. aliquod spatium inter utrumque actum interiectum esse videtur.

10—13; 4, 6—8; Hebr. 3, 9. 13; 10, 25. 37; Jac. 5, 8; Jud. 18; I Petr. 4, 7; II Petr. 3, 4—9; I Joh. 2, 18; Apoc. 1, 1. 3; 2, 16. 25; 3, 3. 11; 22, 7. 10—20.

c. De attributis spei christianae.

Epitheta, quibus inprimis ornatur ἐλπὶς N. Ti. sunt *constantia*, *laetitia*, *audacia*, *sobrietas*, *sanctitas*, *beatitudo* et *perfectio*.

1. Vidimus supra sub a) huius sectionis in praecipuis fundamentis et conditionibus ab humana parte praestandis esse ὑπομονήν, i. e. perseverantiam, qua in quibusvis tentationibus rebusque adversis intrepidam erga Deum fiduciam constantemque obedientiam praestemus. Haec est ἐλπὶς βεβαία, quae una cum solatio et salute nascitur ex malorum perpessione II Cor. 1, 6; cfr. Hebr. 3, 6: *ἐάνπερ τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν* (etsi h. l. verba *μέχρι τέλους βεβαίαν* sint suspecta, cfr. enim vs. 14); et 6, 19: (*ἐλπίδος*) *ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν* [1]). — Fortius etiam graviusque attributum, eandem spei qualitatem designans, est ἀκλινής Hebr. 10, 23: *κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ*, i. e. stabilem neque unquam deflexam a veritate vel a firma in Deum confidentia. Eodem pertinent I Thess. 1, 3: *ἡ ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος*; Rom. 5, 3—5; 12, 12, ubi eadem spes, quae oritur ex pia malorum tolerantia fidelisque animi constantia in summis periculis probata (cfr. Jac. 1, 3. 12; 5, 11) commendatur.

2. Effectus praecipuus ac principalis talis spei constanti animo conservatae est *laeta* et promta eius professio

[1]) De hac spei comparatione cum anchora, aliis quoque Graecorum et Romanorum scriptoribus usitata, cfr. quae Wetst. et Kypke adnotarunt ad l. l.

coram hominibus. I Petr. 3, 15 : Ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος; cfr. Hebr. 10, 23 : ὁμολογία τῆς ἐλπίδος. Immo *gloriari* debemus hac spe, h. e. gaudium de ea profiteri, quoniam certo scimus, nunquam eam nos destituturam, sed ad praeclarum potius exitum perducturam. Rom. 5, 2 : καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης θεοῦ; Hebr. 3, 6 : τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος [1]). Sed quominus in vacuam huius spei iactationem incidamus, eo praecipue prohibemur, quod scimus re vera ac iuste sperare nos posse a Deo res, quarum expectationem profitemur. Qua in conscientia confirmamur hilari illa in Deum fiducia, quae quasi liberum aditum nobis patefacit ad paternam eius benevolentiam. Quare in l. l. epistolae ad Hebr. coniuncta sunt παῤῥησία et καύχημα τῆς ἐλπίδος, ubi recte Bleekius monuit παῤῥησίαν hic, sicut Hebr. 4, 16; 10, 19. 35; I Tim. 3, 13; I Joh. 2, 28; 3, 21; 4, 17; 5, 14 significare sensum et habitum quendam erga Deum, non erga homines. Cfr. II Cor. 3, 12 : ἔχοντες οὖν τοιαύτην ἐλπίδα πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα; Eph. 3, 12, ubi παῤῥησία coniuncta est cum πεποιθήσει; Luc. 8, 15 (παῤῥ. et ὑπομονή). — Hac igitur παῤῥησίας qualitate accedente gloriari illud fiet καυχᾶσθαι ἐν κυρίῳ (I Cor. 1, 31; II Cor. 10, 17; secus ac καυχᾶσθαι κατὰ τὴν σάρκα : II Cor. 11, 18); et ita demum sequetur *laetitia* illa (χαρά), quae spei tribuitur Rom. 12, 12 (τῇ ἐλπίδι χαίροντες); cfr. Col. 1, 11;

---

[1]) Ceterum adsentiri non possum Bleekio ad h. l. dicenti, concretum καύχημα h. l. pro abstr. καύχησις II Cor. 5, 12; 9, 3 positum esse. καύχημα potius est obiectum gaudii illius, quod gloriantes profitemur, non ipsa est gloriatio; nam de tali obiecto solum praedicari posse videtur illud *retineri* (κατέχεσθαι), non de ipsa gloriatione; ἐλπίς vero ideo non explicanda est per »res speratae«; ipsa potius spes, ipse sensus actusque sperandi est, quo gloriamur.

Gal. 5, 22, ubi *χαρά* coniuncta est cum *ὑπομονῇ* et *μακροθυμίᾳ*, synonymis vocis *ἐλπίς*; et I Petr. 1, 8, ubi describitur *χαρὰ ἀνεκλάλητος καὶ δεδοξασμένη*, qua futurum Christi conspectum anticipamus, qui quondam explebit gaudium nostrum : *ἵνα ἡ χαρὰ ἡμῶν ᾖ πεπληρωμένη* : II Joh. 12; cfr. Joh. 15, 11; 16, 24; 17, 13; I Joh. 1, 4.

3. Hinc si Deum, summum auctorem eundemque exitum spei nostrae spectamus, alia oritur proprietas spei, quam vocare licet *audaciam* vel *efficaciam* sperandi. Spes enim evangelica, divinis promissionibus innitens et probata per constantem et fidelem in malis perseverantiam, magis magisque elevat animum nostrum ad Deum, ita ut quasi in intimum eius sanctuarium penetremus. Vide Hebr. 7, 19 : *ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγίζομεν τῷ θεῷ*, ubi adiectivo *κρείττων* indicatur spem nostram longe antecedere expectationes sociorum foederis legalis, et firmitate fundamenti, quo nitatur, et efficacia, quod ad expletionem votorum impetrandam a Deo attinet. Ita Hebr. 6, 19 anchora illa, quacum auctor contulerat spem firmitatis causa, dicitur intrare usque ad interiora velaminis (*εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος*), quo simili, alludente ad munus sacerdotis magni, quem solum sanctuarium intrare licebat, indicatur praestantia spei christianae liberrimum aditum ad Deum possidentis. Tollit igitur quodammodo haec similitudo priorem illam, qua spes anchora firma et stabilis nuncupata fuerat [1]); et sic, descripto vigore spei christianae, osten-

[1]) De loquendi libertate, qua h. l. usus est scriptor simile inchoatum deserendo et statim ad novum transeundo, cfr. quae **Bleekius** adnotavit ad h. l. Tom. III, pag. 273—277. Similes comparationum confusiones atque transmutationes reperiuntur apud V. Ti. scriptores v. c. Jesai. 22, 23; inprimis 28, 15. 18 : שׁוֹט שׁוֹטֵף ; cfr. **Knob.** ad hh. ll. — Ex N. To. cfrda. sunt II Cor. 3, 6—15; I Cor. 5, 1—10 etc.

dit auctor eam non esse mortuam, sed vivam : ἐλπίδα ζῶσαν, ut vocat Petrus in priore sua ep. cap. 1, 3. Veram enim huius attributi vim esse eam, quod vitae nostrae interiori animum ac vigorem praebere dicatur spes, id scil. efficiendo, ut, quod a Deo petamus, facile et efficaciter impetremus, recte ostendit Weifs. (p. 92, not. 2), contra indefinitam ac nimis generalem, quam De W. dedit, explicationem [1]). Hanc vero efficaciam spei christianae inprimis novae vitae per gratiam evangelicam oblatae esse signum ac fructum, eoque vigore potissimum spem nostram differre a spe piorum V. Ti. (qui quasi longo intervallo ab obiecto itemque ab auctore exspectationum suarum abesse videbantur), indicatur vocabulis ἀναγέννησας εἰς ἐλπίδα ζῶσαν, ad statum recentem ac denuo creatum Christianorum alludentibus.

4. Sed spem vere christianam oportet etiam *cautam* esse ac *sobriam*, ne nimium se extendat, vel adeo res vetitas a Deo expetat. Simul ei cavenda est inertia atque pigritia, ne in desidiosum illum languorem incidamus, ad quem propensa solet esse caro nostra, ubicunque semel mora decepti nimis longe abesse opinamur, quae expectavimus. (Matth. 24, 48; 25, 1—13). Quare Petrus (I, 1, 13) simul commendat *sobrietatem* et *vigilantiam* in sperando (Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε κτλ. [2]), sicut ipse Dominus pluribus

---

[1]) „Hoffnung, welche Leben in sich hat, Leben gibt und zugleich Leben zum Gegenstande hat.“ — Multo melius Morus interpretatus fuerat: spes efficax, quae tranquillat animum et gaudio summo afficit.

[2]) De vera huius loci explicatione vide Weifs. p. 94. 95. Tenendum est ante omnia, particip. νήφοντες spiritualem indicare sobrietatem et ad ἐλπίδα tantum esse referendum, non ad corporis vitaeque externae castitatem ac sobrietatem. V. c. ea dicenda foret spes sobrietate carens, quae inania somniaret de externo regni Messiani splendore vel de parusiae

locis hanc industriam et vigilantiam ethicam in universo commendat, inpr. Luc. 12, 35. 37; Matth. 25, 13; 26, 41. Cfr. similes admonitiones Pauli, inpr. I Thess. 5, 8, ubi verbum νήφοντες (similiter ac I Petr. 1, 13) coniunctum est cum exhortatione ad arma spiritualia, inprimis galeam spei, induenda; ibid. v. 6, ubi coniuncta sunt γρηγορεῖν et νήφειν, sicut I Petr. 5, 8; praeterea I Cor. 15, 34 ἐκνήψατε); 16, 13; Col. 4, 2; II Tim. 4, 5; cfr. Apoc. 16, 15 et I Petr. 4, 7. — Ad alacritatem vero illam semper manu promptam, simul opus est *precatione* assidua, ut Deus robur ac praesidium suum quavis hora nobiscum communicet. Quare Christus una cum vigilantia commendat supplicationem Matth. 26, 41; et similiter Rom. 12, 12 tres illae admonitiones coniunctae sunt: τῇ ἐλπίδι χαίροντες, τῇ θλίψει ὑπομένοντες, τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες. Cfr. Col. 1, 11: εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν μετὰ χαρᾶς εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ etc., I Tim. 5, 5, ubi verae piaeque viduae duae inprimis tribuuntur virtutes: spes in Deum et supplicatio assidua (ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει ταῖς δεήσεσιν); II Cor. 13, 6. 7: ἐλπίζω δὲ ὅτι γνώσεσθε, ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἐσμὲν ἀδόκιμοι· εὐχόμεθα δὲ πρὸς τὸν θεὸν κτλ. [1]).

---

propinquitate, ut πλάνη illa Thessalonicensium, quam Paulus in priori sua ad hanc ecclesiam epistola reprehendit. — Similiter inani illi spei iustificationis coram Deo, quam Iudaizantes fovebant bonis suis operibus freti, Paulus Gal. 5, 5 opponit spem iustificationis per fidem in Sp. sancto conceptam. H. l. ἐλπίδα δικαιοσύνης inprimis modestiae ac sobrietati evangelicae describendae inservire, recte iam monuit De W., quem vide in comment. ad h. l.

[1]) Conferre etiam licet Rom. 8, 24—26, ubi postquam de essentia ac natura spei sermo fuerat, statim transitus fit ad precationis mentionem faciendam. Sic etiam παῤῥησία et αἰτεῖσθαι sese excipiunt I Joh. 3, 21; 5, 14. — De propinqua vero necessitudine, qua inprimis apud Johannem inter se cohaereant παῤῥησία et ἐλπίς, v. Hofm. Schrbws. III, p. 320.

5. Hisce omnibus coniunctis spes efficitur *sancta* s. casta; sanctificationem enim vitaeque renovationem necessario esse coniunctam cum spe, ita ut nullo modo vere et efficaciter sperare possimus, nisi ipsi intente et assidue in moribus nostris purificandis emendandisque elaboremus, docet I Joh. 3, 3 : *καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ ἁγνίζει ἑαυτόν.* Sanctificatio hic conditio potius, quam consequentia et effectus spei vocatur, id quod bene exposuit Hofm., Schriftbew. III, pag. 320, contra Düsterdieck. contrarium adserentem. — Similiter I Petr. 1, 22 sententiam illam de fide, quae simul spes facta sit in Deum, statim sequitur adhortatio : *τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας κτλ.*; et Act. 24, 16 Paulus, postquam v. 15 professus erat spem suam, fore resurrectionem mortuorum, pergit : *ἐν τούτῳ καὶ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διὰ παντός*; ubi illud *ἐν τούτῳ*, quare, ideo, totam quidem professionem religionis V. Ti. vsibus. 14 et 15 comprehensam respicit, inprimis tamen ad spem resurrectionis, proxime superiore loco memoratam, referenda videtur. — Sententia, cavendam esse offensionem et exercendam virtutem propter propinquitatem ac magnificentiam salutis expectatae reperitur etiam II Cor. 6, 1 squu.; cfr. I Petr. 3, 5, ubi simile quoddam de mulieribus V. Ti. piae spei plenis praedicatur (*ἐκόσμουν ἑαυτάς*).

6. Ex sanctitate spei necessario sequitur eius *beatitudo*, qua futuram aeternae vitae sanctitatem summamque laetitiam ac tranquillitatem, qua in coelo nos fruituros expectamus, iam quasi praesentem habemus ac sentimus [1]).

[1]) Confer definitionem spei, quam Maximus Confessor (Opp. Tom. II, pag. 220) proposuit, secundum quam ipsi nobis repraesentamus verum bonum in spe, firmiusque ea tenemus res invisibiles, quam manus tenere potest res sensibiles.

Quare Tit. 2, 13 ἐλπίς vocatur *μακαρία*, ubi Wolfii opinio, ἐλπίδα μακαρίαν idem esse quod ἡ ἐλπιζομένη μακαριότης reiicienda quidem est, si stricte ex sensu verborum iudices; re tamen ipsa eam haud ita falsam esse puto. Nam cum vocabulum ἐλπίς h. l. positum sit pro obiecto sperandi (v. cap. III) necesse est, etiam attributum μακαρία h. l. significet qualitatem huius rei speratae propriam; cum vero ex squu. pateat, hoc spei obiectum esse patefactionem gloriae Christi, is erit verus totius locutionis sensus, expectare nos beatam Domini gloriam, quae iam nunc beatos nos reddat. Cfr. simile attributum ἀγαθή II Thess. 2, 16 : θεὸς . . . ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς καὶ δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθήν, ubi antecedens παράκλησιν αἰωνίαν inservit illustrandae locutioni ἐλπίδα ἀγαθήν. Spes autem bona est talis, quae, dum summa bona sibi obventura expectat, ipsa iam bene se habet et beat sperantem, sicut solatium aeternum est tale, quod in omnem aeternitatem manet.

7. Omnia haec attributa spei quasi colliguntur et consummantur *perfectione* (τελειότης), quam spei tribuit I Petr. 1, 13. Ibi enim vocabulis : *τελείως* ἐλπίσατε ἐπὶ τὴν φερομένην ὑμῖν χάριν κτλ. praecipue sane respiciuntur constantia et fortitudo animi, quae sperantem decet, vigilantia illa et sobrietas, cuius vix mentio facta erat, vel malorum tolerantia, de qua v. 6—9 sermo fuerat. Non tamen plane reiecerim cum Weifsio (p. 93, nt. 1) eam adverbii τελείως explicationem, quam Bengel. proposuit, conferens substant. τέλος : „perfecte sperate, i. e. eam spem habete, quae τέλος, i. e. finem propositum apprehendat.“ In eo enim maxime cernitur illa fortitudo roburque illud invictum spei, quod ad finem usque perseverat, neque unquam firma sua fiducia excutitur. Cfr. Hebr. 3, 6 et

14 : *μέχρι τέλους βεβαίαν* [1]), et caput 6, 11 : *ἐπιθυμοῦμεν δὲ ἕκαστον ὑμῶν τὴν αὐτὴν ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους.* Ibi, ut Bleek. recte adnotavit, vocabulum *πληροφορία* spectat ad plenum atque perfectum cultum (die volle Ausbildung) spei, non ad firmam solum persuasionem de rebus speratis [2]); *ἄχρι τέλους* vero finalem expletionem spei, e divina gratia ac benevolentia pendentem, respicit [3]). Constantiam tamen et perseverantiam hoc quoque loco principalem esse notionem, ostendit sequens versus : *ἵνα μὴ νωθροὶ γένησθε, μιμηταὶ δὲ τῶν διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας.* — Ad sensum vocabuli *τελείως* conferendum etiam est Phil. 3, 15, ubi *τέλειοι* vocantur, qui assidue et perpetuo sectantur metam stadii palmamque a Deo sibi destinatam; et Jac. 1, 4 : *ἡ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω, ἵνα ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι ἐν μηδενὶ λειπόμενοι.* Talis spes perfecta, quae indefesso studio finem suum sectatur, non fallit nec pudefacit : *οὐ καταισχύνει* Rom. 5, 5; cfr. Phil. 1, 20; et eam quidem ob causam, quod amor Dei, i. e. amor, quem Deus erga nos habet [4]), effusus est in cordibus nostris. Hic enim amor „est aeternus" (ita Bgl. ad Rom. 5, 5) simulque immensus, ita ut

---

[1]) Nisi priore horum locorum vocabb. *μέχρι τέλ. βεβ.* reiicienda sunt secundum auctoritatem cod. B. Aeth. Syr. Lucif. Calarit. Ambros. cum Lachm. Tischdf. all.

[2]) Diversae enim significationis est locutio : *πληροφορία πίστεως* cap. 10, 22.

[3]) Cfr. Matth. 10, 22 : *ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται*; c. 24, 13; Marc. 13, 13.

[4]) Ita enim interpretor verba *ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ* cum maiore interpretum numero, secus ac Hofm. l. c. I, p. 475, qui de amore nostro erga Deum intelligit locutionem.

vere dici possit, *omnia* esse speranda ei, qui in hanc amoris ac misericordiae abyssum intueatur : I Cor. 13, 7. Minime tamen hoc *πάντα ἐλπίζει* ita intelligendum erit, ut, quicquid voti vel opinionis conceperimus, a paterna illa clementia ac benevolentia nos adsecuturos sperare liceret. Id enim quominus opinemur, impedit nos Sp. sctus., qui semper expectationes nostras intra fines piae erga Deum reverentiae atque humillimae obedientiae coercebit. Sicut enim spes in universum debet sancta esse et cauta, ita etiam *τὸ περισσεύειν ἐν τῇ ἐλπίδι* solum fieri potest : *ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου* Rom. 15, 13; et summus ille ac perfectus amor, de quo Johannes in priore sua ep. c. 4, 18 scribit, metum eum expellere, necessario est sanctissimus et castissimus, qui tum demum efficietur in nobis, quando summae erga Deum obedientiae operam dederimus (ibid v. 20. 21) plenissimeque nos separaverimus ab hoc mundo, sicut ipse Christus (v. 17).

Cap. V.

De loco, quem obtinet *ἐλπίς* inter ceteras doctrinae evangelicae notiones secundum singulorum apostolorum sententias.

Quum vocabulum *ἐλπίς* neque in Apocalypsi, nec in Jacobi et Judae epistolis reperiatur, trium solum apostolorum : Petri, Pauli et Johannis sententiae de hac re inter se conferendae nobis erunt [1]). — Horum Petrus praecipue *apostolus spei* nominatur et iure quidem, ut opi-

[1]) Doctrina enim epistolae ad Hebraeos, inprimis spei ratione habita, tam prope accedit ad Paulinam, ut vix necessarium sit, separatim eam tractare ab illa.

nor, quia spem et in priore sua epistola et in orationibus suis, quae primis Actorum capitibus nobis conservatae sunt, primo loco inter omnes virtutes christianas collocare solet semperque summo studio ac quasi flagranti desiderio in exitum huius seculi et consummationem operis salutaris, a Christo inchoati, intuetur. Quam nominationem ad ultimum Weifsius, in egregio, quem de Petri doctrina scripsit libro (Sect. I, pag. 26 etc.) plurimis atque gravissimis argumentis collatis defendit atque ex omni parte veram esse probavit, licet paulo ante etiam Schmidius: „Biblische Theol. des N. Test's. ed. Weizsäcker (II, p. 205) hanc esse proprietatem doctrinae negasset [1]). Nos eorum, quae Weifsius de hac re disputavit, nihil impugnandum censemus, inprimis vero laudamus, quae § 5 illius sectionis [2]) exposuit de arcta atque intima necessitate, qua haec docendi proprietas cum peculiari ingenio totaque natura huius apostoli coniuncta sit. Id solum huic disputationi puto addendum fuisse, ipsum cognomen Petri (כיפא), quo Jesus eum ornavit, ubi primum ei obviam factus est (Joh. 1, 42) et iterum, quum ille divinam ipsius naturam professus esset (Matth. 16, 17), aliqua ex parte spectare ad hanc indolis ac naturae eius proprietatem. Nam si bene respicimus singula praeclarae illius narrationis Matth. 16 de magna confessione Petri, inveniamus necesse est, proprie non fuisse fidei firmitatem et constantiam, cuius gratia Dominus eum insigniverit illo nomine, sed potius *sensum*

---

[1]) „Wenn man also sagt, Paulus sei der Apostel des Glaubens, Johannes der Apostel der Liebe und Petrus der Apostel der Hoffnung, so ist damit nichts Entscheidendes ausgesagt.“ — Ceterum etiam Mefsner: „die Lehre der Apostel“, Leipz. 1856, pag. 118 squu. opinioni, Petrum inprimis apostolum spei vocandum esse, adsentitur.

[2]) Pag. 88—97: Die psychologische Basis dieser Lehreigenthümlichkeit.

illum *coelestem* rerumque coelestium capacem [1]), qui inprimis significatur spe ardente summoque coniungendi se cum divino numine desiderio. Tali enim ingenio opus erat Salvatori ad fundandam ecclesiam, fervente ac prompto ad quodvis malum perferendum et quemvis laborem exsequendum propter spem futurorum gloriae ac magnificentiae praemiorum promissorum sibi a Domino Matth. 19, 28. 29. Has vero virtutes perseverantiae in afflictionibus laetaeque erga Deum obedientiae [2]), audaciae iunctae cum cautione, sanctitatis summaeque sperandi plerophoriae omnes simul futuras aliquando in pectore huius iuvenis, confestim perspexisse videtur Dominus *καρδιογνώστης*, quum primum ei obviam factus esset, ideoque statim ab initio apostolatus eius imposuit ei cognomen illud; quamquam paulatim demum vetus eius natura in speciem ab omni parte dignam tali cognomine immutata esse videatur.

Apud Petrum igitur spes primum locum in universa doctrinae summa obtinet; est quasi sphaera, in qua sola et praecipue se movere debet regeneratorum vita (I Petr. 1, 3), cui fides subest tamquam conditio ac fundamentum (c. 1, 21), quaeque in opera sanctae piaeque obedientiae et caritatis se evolvit ac discurrit (c. 1, 22). — Contra Paulus maxime premit *fidem*. Hanc enim facit et proximum et praecipuum effectum regenerationis; haec est ipsa nova vita

---

[1]) V. inpr. vs. 17 : *ὅτι σάρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέν σοι ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.* Cfr. vs. 19.

[2]) Obedientiae erga Dei voluntatem inprimis convenire nomen illud *petrae*, a firmitate et robure petitum, ipsius Domini docet dictum : Matth. 7, 24. Ingenium ac vita eius, qui fiduciam suam toto animo collocatam habet in divina illa *petra Israel* Deut. 32, 4, ipsa petra vocari potest. Cfr. Ps. 61, 3. 4; 73, 26, ubi fiducia in Deum cum petra confertur.

spiritualis, ad quam evangelio de gratia Christi vocati sumus. Spes tamen Paulina per se ipsa, seu, ut ita dicam, materialiter spectata, plane est eadem ac Petrina, neque verum est, quod dicit Weiſs. pag. 65, apud Paulum spem tantum „momentum esse fidei“, quod quasi tollatur in ea atque evanescat. Loci enim, quos ille adlegavit ad hoc probandum, nihil mihi videntur valere ad hoc propositum: nam Rom. 4, 18 sermo est de *fide* Abrahami, quae necessario diversa est a fide Christianorum, quum primarium eius obiectum in futuro tempore situm sit; quare hic opus erat spei notione ad plenam reddendam huius fidei definitionem. Tit. 1, 1. 2 vero omnino huc non pertinet; nam vocabulum *ἐπ' ἐλπίδι* ibi pendet tantum ex: „*ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν*“, non simul ex „*κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεοῦ*[1]). Deinde II Cor. 5, 7 (*διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους*) videtur quidem *πίστις* plane idem notare, quod alibi per *ἐλπίς* exprimatur, quoniam sermo est de rebus etiamnunc invisibilibus et futuro demum seculo conspectui nostro revelandis. Sumendum vero est, apostolum h. l. usum esse voce *πίστις*, quo fortius et gravius urgeret *invisibilitatem* rerum illarum, quum *πίστις* proprie sit *ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων* Hebr. 11, 1, semperque directe opponatur conspectui alicuius rei, dum spes plerumque, immo semper, res visibiles expetat: nam coelestis quoque gloria, quam speramus, quid est aliud quam conspectus Dei? Negligitur igitur ac praetermittitur h. l. spei atque in universum futuri temporis respectus, secus ac Rom. 8, 24, ubi proprie ex sententia scriptoris *βλέπειν* et *οὔπω βλέπειν* sibi opposita sunt[2]).

---

[1]) Cfr. quae **Hutherus** adnotavit ad h. l.

[2]) Cfr. **Neand.** Geschichte der Pflzg. etc. pag. 757, not. 1.

Licet autem re vera Paulus illo loco voce *πίστις* usus esset loco *ἐλπίδος*, minime tamen inde efficeretur, vel aliam eius fuisse sententiam de vi ac natura spei christianae, vel *ἐλπίδα* pro momento tantum *πίστεως* ab eo habitam esse. Nam semel etiam *ἀγαπᾶν* usurpasse videtur pro *ἐλπίζειν* II Tim. 4, 8 : *τοῖς ἠγαπηκόσιν τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ* [1]), ubi inprimis opus erat praedicatione eius spei elementi, quod proxime ad amorem accedit, adhaerendi scil. ad aliquam rem, firmiter aliquid tenendi; dum prior illa vocabuli *ἐλπίς* commutatio cum *πίστις* praecipue ad invisibilitatem rerum speratarum urgendam facta esse videtur.

Neque etiam id dixerim, Paulum plerumque tantum, si occasio tulisset, commemorasse spem [2]); repugnant huic sententiae et caput V et VIII epistolae ad Romanos, classicusque ille locus I Cor. 13, 13; et summa similitudo, quae intercedit inter *ἐλπίδα*, qualis in epistolis ad Ephesios et Colossenses describitur, cum spe Petrina. Atvero etiam Rom. 15, 4 et 13 commemoratio vocabuli *ἐλπίς*

---

[1]) Ita etiam hebr. אהב (cognatum cum gr. *ἀγαπάω*, cfr. עגב) proprie, ut videtur, significat: cupivit, adspiravit ad aliquid. V. Gesen. Lex. man. s. h. v.; Ps. 4, 4; 40, 17; 70, 5. Num אָהַב cum כִּי particula constructum significet : *gaudere, quod*, dubium est : cfr. Hofm., Schrbws. III, pag. 286, contra Olsh. ad Ps. 116, 1. — Ceterum etiam radicem *Fελπ* in linguis cognatis habere significationem amandi, oblectandi (cfr. volup-tas, वल्लभ vallb'a) iam supra cap. I monuimus.

[2]) Weifs. l. c. pag. 66. — Quod idem auctor de loco Rom. 12, 12 notavit, ibi mentionem spei fieri inter magnam copiam adhortationum diversi argumenti, hoc causam habere non possum, cur Paulum spem inter virtutes minoris momenti habuisse censeamus. Immo et proxime superiore loco (*τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ κυρίῳ δουλεύοντες*), et statim sequente (*τῇ θλίψει ὑπομένοντες, τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες*) maximae et gravissimae virtutes commendantur.

minime est fortuita. Utroque enim versu tamquam finis summus et principalis universae gratiae divinae manifestatae a primis inde initiis V. Ti. per longam seriem promissionum patribus et prophetis datarum, describitur spes: ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν (v. 4) et : εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου (v. 13) [1]. Et cur posteriore loco Deum vocat : „ὁ θεὸς τῆς ἐλπίδος", si mero casu adductus fuerat ad spei mentionem iniiciendam? — Immo id potius casui et occasioni adscribendum puto, quod fidem tantopere pressit et primo loco in summa doctrinae suae collocavit; ei nimirum occasioni, quam praebebat ei periculum imminens ecclesiae veraeque Christianorum vitae ac doctrinae a parte Judaizantium. Nam ubicunque alii ei impugnandi erant adversarii, ut in epistolis ad Corinthios et ad Thessalonicenses (ex parte etiam in epp. ad Romanos et ad Titum Timotheumque), fides vix prominet super alteras duas virtutes theologicas: spem et caritatem. — Quamobrem praecipue his in epistolis praeclara illa *trias vitae christianae*, sive *modalitatum veritatis evangelicae* — ut hoc termino recentioris philosophiae proprio utar [2]) — disertis verbis proposita reperitur: I Cor. 13, 13 [3]); I Thess. 1, 3 et 5, 8; Col. 1, 4. 5. — Postremo

[1]) Cfr. II Thess. 2, 16, ubi praecipuum testimonium summae Dei benevolentiae erga nos praedicatur, quod aeternum solatium bonamque spem (observa hendiadyoin) nobis donaverit.

[2]) Harlefs., christliche Ethik pag. 70 triadem illam vocat : „die Dreiheit von *Grundstimmungen*, in welcher vom neuen Leben des Geistes aus die Persönlichkeit des Erlösten sich bewegt."

[3]) Quod h. l. de fide, spei et caritate dictum est, *manere* eas, haud ita intelligendum puto, ac si in aeternum nos aliquid credituros, speraturos amaturos esse dicat apostolus (ita J. D. Michaelis, Reinhard., Meyer. ad

loco („ἀκούσαντες τὴν πίστιν . . . . καὶ τὴν ἀγάπην . . . . . διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ἐν οὐρανοῖς κτλ.) fides et caritas pendent ex spe tamquam ex conditione sua, i. e. ex sublimi illo et coelesti sensu, qui oritur nobis ex conscientia, veram patriam nostram in coelis esse, ubi ditissima ac splendidissima nos maneat hereditos. — Idem fere sensus esse videtur Eph. 1, 15—18, ubi inter fidem caritatemque et sphaeram earum, in qua versantur (vel conditionem, e qua pendent), spem, adhuc inseritur : *πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως*, tamquam instrumentum, quo utendum sit ad vim et naturam novae huius vitae in spe consistentis quam maxime cognoscendam et perspiciendam. — Ita eis quoque locis, ubi *πίστις* solum et *ἀγάπη* coniunctae memorantur, supplendam tamen puto spem et quodammodo tacite addendam duabus illis tamquam necessariam conditionem, qua innitantur [1]; v. c. Gal. 5, 6 (quo tamen loco iam versu proxime superiore spei mentio facta fuerat); Eph. 3, 17. 18; I Thess. 3, 6; I Tim. 1, 14; 4, 12; II Tim. 1, 13; 2, 22; Philem. 5. Eodem referendos puto locos,

---

h. l. : »Für alle drei mufs das *μένειν* in dem nämlichen Sinne gemeint sein.«); neque etiam ita, ac si *obiecta* fidei et spei (der *Inhalt* des Glaubens und Hoffens) in aeternum mansura dicantur (ita Billroth, De Wette) : sed apostolus de praesenti vitae terrestris statu loquitur (vide Neand. l. c. pag. 757, nt. 1), etiamsi illud *νυνὶ* particula conclusiva sit, non temporalis. Nam proprie solam caritatem nunquam cessare, iam vsu. 8 dixerat (*ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει*); quare etiam quod caritas maior reliquis duabus vocatur, inprimis aeternitatem eius respicere arbitror.

[1]) Neand., l. c. pag. 749 : »Aber eben hieraus ergiebt sich auch, dafs das christliche Leben ohne eine Beziehung auf die Zukunft gar nicht gedacht werden kann«; ibid. not. 4 : »Man mufs diefs wohl beachten, um die Beziehung des Diesseits zum Jenseits im christlichen Sinne recht zu verstehen, und sich nicht durch eine pantheistische Selbstvergötterungslehre täuschen zu lassen, welche in paulinische und johanneische Ausdrücke besonders einen denselben fremdartigen Sinn hineinlegt.«

ubi *πίστις*, *ἀγάπη*, *ὑπομονή* coniunctae sunt, vel solae inter se, vel in maiore diversarum virtutum catalogo [1]; ibi enim *ὑπομονήν* simpliciter vice spei fungi, credere non possum, licet De Wette (ad II Thess. 1, 4) et Neand. (l. c. pag. 754) id contendant. Semper enim *ὑπομονή* conditio tantum vel pars aliqua spei est [2]; ipsius vero *ἐλπίδος* notio latius patet, ita ut quasi sphaera sit totius vitae christianae, ex qua ceterae illae virtutes nascantur.

Sententiam eius, qui *ep. ad Hebr.* scripsit, de spe eiusque vi collatae cum ceteris elementis vitam christianam constituentibus, propius ad Petri doctrinam accedere, concedo Weifsio (l. c. pag. 67). Vix tamen scio, quo iure dici possit, vel cap. 11, 1, vel alio quoquam loco huius epistolae notionem fidei fere dilui in notionem spei. Quamvis enim *πίστις* in ep. ad Hebr. differat ab ea eiusdem vocabuli significatione, qua plerumque a Paulo usurpatum est [3]), propiusque accedat ad sensum nostri vocabuli „Treue" vel „Gehorsam" (quo sensu *πίστις* a Paulo usurpata est v. c. II Thess. 1, 4) : ceterarum tamen virtutum christianarum respectu *πίστις* in hac epistola eundem semper locum obtinet, quem apud Paulum. Huius rei testimonium est trias : fides, spes et caritas, quae duobus huius ep. locis satis perspicue proposita invenitur; praecipue cap. 10,

---

[1]) II Thess. 1, 3. 4; Tit. 2, 2; I Tim. 6, 11; II Tim. 3, 10 (ubi accedit *μακροθυμία*); cfr. etiam II Petr. 1, 6, illustrem illam seriem virtutum christianarum, quarum *πίστις* chorum ducit, *ὑπομονή* medium locum tenet, *ἀγάπη* agmen claudit; et Apoc. 2, 19 : *ἔργα*, *ἀγάπη*, *πίστις*, *διακονία*, *ὑπομονή*.

[2]) „die praktische Seite der Hoffnung" bene eam vocat Neand. l. c.

[3]) Cfr. Bleek, d. Br. a. die Hebr. I, p. 311; Nitzsch, Syst. pag. 307, not. ***); Hofm. l. c. I, pag. 553—556.

22—24: προσερχώμεθα .... ἐν πληροφορίᾳ πίστεως .... κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ ..... καὶ κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων; et cap. 6, 10—12, ubi rursus ἀγάπην comitatur τὸ ἔργον [1]), πληροφορία vero tribuitur spei et πίστις coniungitur cum μακροθυμίᾳ, quod vocabulum inprimis in hac epistola simili sensu usurpatur, quo πίστις vel ὑπομονή.

Ceterum etiam versibus 20 et 21 epistolae *Judae*, re ipsa saltem, etsi deficiente nomine ἐλπίς, inesse triadem illam virtutum vitae christianae, bene iam monuit **Bengelius**, simul ostendens, singulas etiam personas trinitatis h. l. commemorari. Videmus quanta et quam mirifica necessitate tres illae virtutes inter se cohaereant, ita ut semper se invicem quasi poscant, neque facile aliqua ex eis deesse possit, ubicunque plena notio ac summa vitae vel doctrinae evangelicae exponenda est.

Quare ne **Johannes** quidem, caritatis apostolus, etsi praesentem maxime vitae christianae statum proximumque eius problema, in plena fide summoque erga Deum hominesque amore consistens, respiciat [2]), omnem spei commemorationem vitare potuit. Quamvis enim vita citerior et ulterior pneumatico huic apostolo quasi in unum coales-

---

[1]) In simili loco I Thess. 1, 3 reperitur locutio τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης; ἔργον autem hic tribuitur τῇ πίστει.

[2]) Hoc autem fit, ut in evangelio, ita in prima epistola eius. Nam etsi Apocalypsin quoque ab eodem apostolo confectam esse credimus, tamen inter summam doctrinae evangelistae s. caritatis apostoli propriam, et visiones de ecclesiae exitu prophetae revelatas distinguendum esse tenemus. Cfr. **Lücke**, Einl. in d. Offenb. Johs. ed. II, pag. 709 squu., inprimis pag. 719, ubi discrimen inter doctrinam eschatologicam evangelii et apocalypsis his verbis describitur: „Die apokalyptische (eschatologische Vorstellungsweise) ist die ausgeführtere, die des Evangelisten die innerlich gebildetere.“

scant, ita ut ea fere de statu atque eventu rerum sententia ei tribuenda videatur, quam recentioribus quibusdam theologis „dynamische Weltanschauung" nuncupare placuit [1]) : minime tamen omnis futurae coelestisque consummationis opinio ei defuisse putanda est; immo plane eandem eum his de rebus sententiam habuisse verisimillimum est, quam apud ceteros apostolos invenimus. Nam sicut parusiam Domini futuram bene novit (Joh. 5, 28; 14, 3; cap. 21; I Joh. 2, 28), ita spem quoque docet ponendam esse in beata Dei visione et glorificatione exordiente inde ab hac parusia : I Joh. 3, 2. 3. Sane sola est ἐλπὶς τῆς δόξης, sublimis illa ac sancta bonorum augustissimorum expectatio, quam h. l. profiteri videtur apostolus; sed quum finem, quem sibi proposuisse videtur in scribendo evangelio suo primaque epistola, admodum singularem esse constet, nescimus, annon alia etiam, eaque inferiora, obiecta sperandi in parusia nobiscum communicanda statuerit. Cfr. v. c. II Joh. 8. Ceterum bene monuit Neand. (l. c. pag. 901) eandem ex Johannis sententia esse cognationem fidei cum spe, quam apud Paulum.

---

[1]) Vide v. c. Schweizer, reformirte Dogmatik I, pag. 83 et saepius.

Appendix.

De synonymis vocabuli ἐλπίς in N. To. usitatis.

Synonymorum vocabuli ἐλπίς duo praecipue sunt genera, secundum duas principales notiones sensum vocabuli ἐλπίς constituentes: quorum alterum ea complectitur verba, quae propius accedunt ad notionem prospectandi s. protendendi in futurum, alterum ea, in quibus sensus contrahendi sese, s. patienter expectandi praevalet.

Prioris generis haec fere sunt vocabula:

1. *ἐκδέχεσθαι*, quod, similiter ac lat. captare, proprie obtinet vim apprehendendi aliquid; inde valet anticipare, i. e. expectando ante tenere aliquid, quam re vera adsit, expectare. Ita semper in N. To.: Jo. 5, 3; Act. 17, 16; I Cor. 11, 33; Hebr. 10, 13; 11, 10; Jac. 5, 7; substant: ἐκδοχή Hebr. 10, 27. Aliena est a N. To. classica significatio recipiendi vel suscipiendi.

2. Idem valet *ἀπεκδέχεσθαι*, aucta tamen quodammodo et acuta significatione expectandi, ita ut fere obtineat notionem intente et avide expectandi, v. c. Rom. 8, 19. 23. 25 (de avida et flagrante spe *τῆς κτίσεως*); I Cor. 1, 7: *ἀπεκδέχεσθαι τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ κυρίου Ἰ. Χρ.*; Gal. 5, 5; Phil. 3, 20; Hebr. 9, 28: *ἀπεκδέχεσθαι τὸν Χριστὸν εἰς σωτηρίαν;* I Petr. 3, 20 [1]).

3. *προσδέχεσθαι*, quod etsi plerumque significat accipere, recipere, satis frequenter tamen, ut in ceterorum Graecorum sermone, ita in N. To., idem valet, quod ἀπεκ-

[1]) Graviore etiam modo disiderium illud expectantis describitur verbo ἐπιποθεῖν Rom. 1, 11; II Cor. 5, 2 (ubi accedit στενάζειν sicut Rom. 8

δέχεσθαι : Luc. 2, 25. 38; 12, 36; 23, 51; Act. 23, 21; 24, 15; Tit. 2, 13; Jud. 21.

4. *προσδοκᾶν*, a verbo, quod raro invenitur, *δοκάω*, proxime cognato cum *δοκεύω*, deinde etiam cum *δέχομαι*, proprie valet insidiari, aucupari; inde suspicari, expectare, et plerumque quidem sensu bono : Matth. 11, 3; Luc. 1, 31; 3, 15; 7, 19; 8, 40; Act. 3, 5; 10, 24; II Petr. 3, 12—14 (de expectatione parusiae); interdum de expectatione mala: Matth. 24, 50; Act. 28, 6. Posterior sensus obtingit etiam substantivo *προσδοκία* Luc. 21, 16; Act. 12, 11.

5. Vocabulum *εὐδοκία* benevolentia, interdum sensum obtinet prope accedentem ad notionem spei bonae vel desiderii, voti boni pro aliquo facti. Ita inprimis Rom. 10, 2 : *ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις πρὸς τὸν θεόν*; II Thess. 1, 11.

6. Compositum *καραδοκέω* sensum expectandi vel insidiandi, in themate *δοκάω* (*δοκεύω*) situm singulari modo auget, ita ut metaphorica oriatur significatio : porrecto vel erecto capite, exserto collo in aliquam rem prospicere, intente avideque aliquid expectare [1]). Hinc ductum est substantivum *καραδοκία* (sic saepe in classica Graecitate) vel, quae est melior lectio : *ἀποκαραδοκία*, quod Rom. 8, 19; Phil. 1, 20 expectationi inprimis avidae et ardenti designandae inservit. Priore loco a Chrysostomo

---

22. 23, sensus acuendi causa); 9, 14; Phil. 1, 8; 2, 26; I Thess. 3, 6; II Tim. 1, 4; I Petr. 2, 2. Cfr. substantiva *ἐπιπόθησις* II Cor. 7, 7. 11; et *ἐπιποθία* Rom. 15, 23.

[1]) Exempla ex auctorum classicorum sermone sunt : Eur. Iph. Taur. 315; Rhes. 114: *σάλπιγγος αὐδὴν προσδοκῶν καραδοκεῖ*; Troad. 93 : *καραδόκει ὅταν στράτευμ' Ἀργείων ἐξίῃ*; Ar. Equu. 661; Herod. VII, 163: Xen. Mem. 3, 5. 6; Polyb. 1, 33, 11; 2, 52, 6. — Cfr. Aquilam, qui Ps. 130, 5 verbum הוֹחִיל interpretatur per *καραδοκεῖν*; item Ps. 37, 7 הִתְחוֹלֵל per *ἀποκαραδοκεῖν*, et nomen תּוֹחֶלֶת Ps. 39, 8; Prov. 10, 38 per *καραδοκία*.

explicatur : ἡ σφόδρα προσδοκία; ad alterum, ubi coniunctum est cum ἐλπίς, notat Oecumenius : ἀποκαραδοκίαν φησὶ τὴν σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταγμένην ἐλπίδα, ἥν τις καὶ αὐτὴν ἐπικινῶν τὴν κεφαλὴν δοκεύει καὶ περισκοπεῖ. — Cfr. Philippi ad Rom. 8, 19, qui bene monet, praepositionem ἀπό hic notare expectationem constantem et ad finem usque perseverantem (id quod valet etiam de praep. ἀπό in ἀπεκδέχεσθαι [1]).

Vocabulum ἀποκαραδοκία medium quendam locum tenet inter utrumque synonymorum vocis ἐλπίς genus, quum et perseverantiam, et habitum intente ad finem tendentem sperantis indicet. Posteriori generi inprimis adnumeranda sunt :

1. μένειν, manere, expectare aliquem; ita duobus saltem N. Ti. locis Act. 20, 5 et 23; saepius hoc sensu apud Graecos usurpatum reperitur, v. c. Il. IV, 247; Od. I, 422; Aesch. Eumen. 647; 702.

2. περιμένειν : Act. 1, 4 : περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, i. e. expectare (sive : expectando quasi *ambire*), donec expleta sit promissio patris.

3. ἀναμένειν I Thess. 1, 10 : ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ οὐρανῶν, de expectatione parusiae Christi. Praepos. ἀνα h. l. indicare videtur expectationem saepius denuo incipientem et quasi redintegratam, iterum atque iterum se colligentem at ad firmam fiduciam et constantiam exhortantem.

4. Verbum ὑπομένειν proprie esse verbum bellicum et notare μένειν ἐν τοῖς παθήμασι, iam supra cap. IV, sect.

---

[1]) Ceterum et quoad etymon et quoad significationem cum omnibus his verbis cognatum est δοκέω, subst. δόξα, cui in classicorum Graeci sermonis auctorum usu vulgo obvenit notio opinionis s. expectationis; ita κατὰ δόξαν idem est, quod κατ' ἐλπίδα, et παρὰ δόξαν idem, quod παρ' ἐλπίδα. Sed iam supra dictum est, vocabulum δόξα semper alio sensu usurpatum esse in N. To.; nam ne II Petr. 2, 10 quidem vocabulum δόξαι cum Vulg. interpretandum est : opiniones (haereticae), sectae, schismata.

2, a diximus. Hanc significationem perseverandi in malis, fidei inprimis Deo debitae ratione habita, verbum ὑπομένειν obtinet Matth. 10, 22 : ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται, cfr. Luc. 21, 19; Rom. 12, 12; II Cor. 1, 6; II Tim. 2, 10. 12; Hebr. 10, 32; 12, 2. 7; Jacob. 1, 12 : ὑπομένειν πειρασμόν; 5, 11; I Petr. 2, 20. Contrarium est ὑποστέλλειν ἑαυτόν Gal. 2, 12, timide, ignave se recipere; cfr. medium ὑποστέλλεσθαι Hebr. 10, 38; Act. 20, 27; et substantiva ὑπομονή et ὑποστολή directe sibi opposita Hebr. 10, 39. — De nomine ὑπομονή eiusque notione comparata cum spe, praecipue quatenus fundamentum spei est, iam supra ex parte est expositum. Cfr. etiam Rom. 2, 7 : ζητεῖν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν κτλ., ubi hoc „quaerere cum perseverantia in bonis operibus", quasi practicam significat partem spei christianae, quae et ipsa perseveranter expectat δόξαν etc., sed non labore et operibus, sed fide potius et patiente in gratiam divinam fiducia. V. etiam Luc. 8, 15 : καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ; II Thess. 1, 3; 3, 5 ὑπομονὴ τοῦ Χριστοῦ [1]); Hebr. 10, 36; 12, 1; Jac. 1, 3. 4; 5, 11; II Petr. 1, 6; Apocal. 1, 9; 2, 2. 3. 19; 3, 10; 13, 10; 14, 12.

5. Vicinam significationem obtinet verbum μακροθυμεῖν, quod proprie notat patientem esse, indulgere alicui. Respectu expectationis rerum futurarum autem valet : patienter ferre moram sive retardationem; ita ut id fere sit discriminis inter verba ὑπομένειν et μακροθυμεῖν, ut illud significet robur ac fortitudinem, hoc vero aequi-

---

[1]) τοῦ Χριστοῦ h. l. est genitivus possessoris. Eam perseverantiam dicit apostolus, quam Christus habuit et quae nobis imitanda est (II Cor. 5, 1); non perseverantiam Christi causa praestatam, neque etiam patientem expectationem Christi. Hoc enim fore ἀναμονὴν (vel ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος) τοῦ Χρ. (cfr. I Thess. 1, 3. 10) recte adnotavit Lünem. ad h. l.

tatem animi conservare [1]). Ita Jac. 5, 7 de agricola : *ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ' αυτῷ κτλ.*; quae enunciatio duabus verbis coniunctis eundem describit animi statum agricolae messem expectandis, qui I Cor. 9, 10 vocabulo *ἐλπίς* indicatur. Cfr. vsum. 8 : *Μακροθυμήσατε καὶ ὑμεῖς, στηρίξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὅτι ἡ παρουσία τοῦ κυρίου ἤγγικεν.* Hebr. 6, 17 verbum *μακροθυμεῖν* firmam ac stabilem Abrahami fiduciam significat : *καὶ οὕτως μακροθυμήσας ἐπέτυχεν τῆς ἐπαγγελίας.* — Nomen *μακροθυμία* Col. 1, 11 coniunctum est cum *ὑπομονῇ*; Jac. 5, 10 cum *κακοπαθεία* et Hebr. 6, 12 cum *πίστις*. Duobus posterioribus locis patientem et stabilem prophetarum patrumque V. Ti. spem s. fiduciam describit. Cfr. II Tim. 3, 10; 4, 2.

6. Persuasionis magis firmitatem, quam animi constantiam significat voc. *πεποίθησις*, ductum a perfecto *πέποιθα*, confido alicui [2]). Hoc verbo LXX interdum usi sunt ad interpretandum hebr. קִוָּה לְ, v. c. Jes. 8, 17; 33, 2; vel חָסָה II Sam. 22, 3; Ps. 2, 12; Prov. 14, 32. Cfr. in N. To. Rom. 2, 19; II Cor. 2, 3; 10, 7; Gal. 5, 10; Phil. 2, 24 (ubi coniunctum est cum *ἐλπίζω*); 3, 3. 4; II Thess. 3, 4. Nomen *πεποίθησις*, a classico Graecorum sermone alienum, significat firmam fiduciam; qua notione prope accedit ad sensum vocabuli *ἐλπίς*, v. c. Eph. 3, 12 : *ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Cfr. II Cor. 1, 15; 3, 4; 8, 23; 10, 2; Phil. 3, 4.

De vicina notione vocis *παῤῥησία* v. supra cap. IV, sect. 2, c.

---

[1]) Cfr. Koch ad I Thess. 1, 3; pag. 86.

[2]) Vicina sunt *πέπεισμαι*, persuasum mihi est de aliqua re, et *πίστις*, *πιστεύω*.